DE TABULIS MORTUORUM, VIVORUM, ET NASCENTIUM, NECNON DE NUMERO ET PROPORTIONE DIVERSORUM MORBORUM:

DISPUTATIO MEDICA,

PRO GRADU DOCTORATUS

IN MEDICINA,

IN COLLEGIO DUBLINIENSI

HABITA

3TIO. IDUUM JULII, A. D., 1830,

A GULIELMO HARTY, M. B.

HOSPITII REGIS CAROLI ET CARCERUM EBLANÆ MEDICO.

" Quid nocte consumsisse diem,
Quid pauca dedisse quieti tempora,
Si semel *hic* standum est ?"

DUBLINI:

E TYPOGRAPHIA ACADEMICA

MDCCCXXX.

PRÆPOSITO

SOCIISQUE SENIORIBUS

COLLEGII

SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

JUXTA DUBLIN

HOCCE OPUSCULUM,

HAUD PRIMITIAS CERTE,

ET QUAMVIS MINIMUM, HAUD ULTIMUM,

UT SPERAT, NEC PESSIMUM LABORUM SUORUM,

IN ANIMI PRO BENEFICIIS PLURIMIS

GRATI TESTIMONIUM,

DAT, DICAT, DEDICAT

AUCTOR.

" *Our Mortality Bills, which must form the basis of all general researches, if not so inaccurate as generally represented, are at all events miserably defective. Every succeeding year teaches us to lament that our ancestors were ignorant of the great objects to be attained by extending these Bills; yet with our eyes open we neglect the lesson, and seem disposed to revenge the loss we have sustained from our predecessors, by transmitting it to our successors unrepaired.*"—EDIN. MED. AND SURG. JOUR. *April*, 1828.

" *Utinam numerus respectivus diversorum morborum a nostratibus inquireretur.*"—SAUVAGESII NOSOL. METHOD.

HONORATISSIMO ROBERTO PEEL,

BARONETTO,

MINISTERIO RERUM PUBLICARUM DOMESTICO A REGE PRÆPOSITO, ETC. ETC.

Domine,

Consilia sæpe optima, animo quantumvis benigno et incorrupto prolata, quibus et Scientia in majus provehatur, et genus humanum beneficio haud mediocri afficiatur, inutilia absque omni fructu diù in obscuro jacent, nisi a viro quodam, mente sagaciori et auctoritate publicâ prædito, notentur, ejusque patrocinio foveantur. Talis vir temporis sui præjudicia et vanas de se præsentis sæculi opiniones temnere potest, dum præmia ampla è posterorum justitiâ consecuturum se confidit. Nemo sanus bonum semen sterili commisit solo, et perpauci laboribus suis contenti forent, nisi ante hyemem fructus gustare sperarent.

Quod ad meipsum attinet, nimium forte haud arrogarem, si dicere ausim me commodo publico, non fortasse utiliter, sed bono certè animo culpâque vacuo, diù operam na-

vâsse. Ante tamen quàm è vivis excessero, "visumque humanum effugero," magnopere lætarer si quid veri commodi, cujus ipse pars quàm minima essem, patriæ tandem effectum viderem. Quod autem nunc in animo est, vix audeo sperare ut ad felicem perducatur eventum, nisi (id quod in vestrâ manu situm est) ministerii ope tui mihi auxiliari digneris. Pro certo etenim habeo, rem omnino optandam aliter effici non posse. Liceat igitur mihi, cum pace tuâ, majorem in modum orare ut mentis benignæ opem incepto meo impertias.

Nemo est qui nesciat quàm multi fœdique defectus in mortuorum catalogis hodie existentibus inveniantur, et quantùm Reipublicæ intersit istas tabulas, ut deceat, pro Imperii hujusce præpotentis magnitudine, ad amussim semper parari. Tibi, Domine, rerum politicarum peritissimo, qui brevi admodum exercitio Jurisprudentiæ labyrinthos perlustrâsti, anfractusque ejus enodatè explicuisti, facile appareret (si ad istiusmodi res animum intendere per publica liceret munera,) quibus modis tanti errores tollerentur, et tabulæ istæ fide digniores fierent. Sed aliæ et majores curæ fortasse obstant.

Qui vero tot tantisque rebus occupatus jurisprudentiæ sentinam, non solùm purgandam suscepit, sed jam feliciter purgavit, ne ille difficultates pertimescat quas harum tabularum

emendatio præ se ferre videatur ; nec de tali re sibi dubitandum putet, qui haud ita pridem, cùm de summis rebus in Senatu ageretur, opinionibus præconceptis et præjudiciis populi haud mediocribus, tam fortiter et feliciter sese opposuerit. Vir tali ingenio præditus ignarum vulgi clamorem contemnet, quùm sibi persuasum habeat viam et simplicem et rationi consentaneam, nec magno sumptu oneratam, excogitari posse ; præsertim quum id de quo agitur, et Scientiæ et rebus regni politicis maximè profuturum constet.

Tibi, Domine, proculdubio cognitum est, Catalogos eorum qui Londini obiêre, ex eo originem duxisse, quòd Pestis illic frequenti et lethali passu grassata esset ; atque eatenus accuratos esse, quatenus anus quædam, a Parochiis tanquàm " indagatrices " constitutæ, fideles et rei Medicæ peritæ essent. Quanquàm autem horrificum Pestis vultum jam per aliquot centurias Britannia non aspexerit, vetulæ tamen istæ non solùm eodem illo munere (indagatricum scil.) adhuc funguntur ; sed illis præterea imperatum, omnibus morborum varietatibus, quibus corpora nostra vexari solent, nomina imponere. Nec dubitant imperata exequi mirabiles illæ vetulæ, conspectu cadaveris partim, partim ingenio suo, rumoribusque inter famulos auditis, fretæ. Quàm aptæ tali officio! quam

idoneæ et omnibus animi dotibus ornatæ ad varietatem et naturam morborum depingendam, "indagatrices" istæ! præsertim cum omnibus notum sit (neque id Praxi Medicæ opprobrio ducitur) Medicos sagacissimos et celeberrimos, postquam multum et curæ et temporis ægris impenderint, nomen et naturam morbi prædicare aliquando non audere. Post tot elapsas tamen centurias, fastis hisce, vix ullâ fide dignis, adhuc uti cogimur; nec, quamvis defectus eorum et incuria in propatulo jaceant, quisquam hucusque Britannus, cui commissa rerum politicarum cura sit, tabulas hasce vel corrigere vel extendere curavit.

Nolim tibi, Domine, tædium afferre enumerando quæ quantaque ex accuratis conjunctisque ægrorum, mortuorum, vivorum, et nascentium tabulis speranda commoda, sint præsertim si variis in locis institutæ ea omnia complectantur quæ vel e situ, vel e negotiis populi oriuntur. Quæ commoda cum tibi proculdubio nota sint, liceat mihi quærere an regni hujusce potentissimi præsides deceat diutiùs permittere ut tales tabulæ falsæ et imperfectæ maneant, aut in quibusdam tantùm locis servatæ (nam in Scotiâ paucæ, in Hiberniâ nullæ sunt) incertam investigationi *scientificæ* lucem præbeant.

Quæ cum ita sint, persuasum habeo te, Domine, si quid tibi otii contigerit, rem tantæ magni-

tudinis non prætermissurum. Imo, spes haud parva me tenet, si à rebus publicis gravioribus vacaveris, te genti, cujus fortunas domesticas tam feliciter dirigis, opprobrium hoc *statisticum* penitùs sublaturum. Quomodo hoc faciliùs citiúsque effici possit, si veniam mihi benignus concedas, pleniùs explicabo rationes consilii mei, cujus jam antè judicio tuo capita submisi. Quod si tibi forte placuerit, dubitare nequeo quin curam promovendi et ad finem perducendi ultrò suscepturus sis. Aliter si cesserit, paullulùm modò tecum reputando, (nec indigna est quæ mentem tuam moretur) rei perficiendæ aliam meliorem viam facile invenies. Opus quocunque modo exigatur, exactum æquè mihi gratum erit

Qui sum, Domine,

Servus tuus

Obedientissimus et humillimus,

GULIELMUS HARTY.

DUBLINI,
Calend. Julii, A. D., 1830.

DE TABULIS MORTUORUM,

VIVORUM ET NASCENTIUM,

&c. &c.

Officium est Medici morbos, quibus corpora hominum sunt obnoxia, vel curare vel saltem levare. Qui verò artem medicam exercere instituit, grave et inprimis arduum munus suscipit. Adeò sunt multæ morborum facies et tam variâ naturâ, adeò sunt innumera remedia, e diversis fontibus hausta, et plurima ante hoc tempus inaudita, ut nisi amplior Scientiarum cultus adhibeatur, quàm qui in ullis aliis artibus solet, aut tutè aut jucundè aut faustè tali munere vix fungi possit. Quò magis refert ut medicus, ab usque primis annis liberali disciplinâ institutus, omnia quæ per auctoritatem publicam parari possint auxilia, ad manum prompta habeat. Quæ de arte medicâ apud veteres aut exteras gentes scripta sunt, accedere nequit, nisi variâ linguarum cognitione excultum ingenium sit. Nec satis est ut quæ legendo discere est, diligenter ediscat; ultrà necesse erit ut quæ callidè observanti innotescere solent, experientiâ perspecta habeat. Humani corporis, adhuc morbo intacti, fabricam scrutari, atque organorum usus et functiones, et quantùm quæque vi morbidâ mutentur aut impediantur, penitùs investigare debet. Leges quoque Naturæ exqui-

rere oportet, quibus et sana et ægrota regit corpora. Quid autem prodesse potest medicus, qui herbarum et rerum metallicarum potestates, quùm noxias tùm utiles, nescit?—Quæ cuique igitur vis insit, omnino perpendendum sibi putabit, qui ægrotis verè utilem se præbere cupit. Morborum insuper historiam, causas, varias cujusque formas, et aptissimos ad medendum modos, per totum vitæ curriculum in animo versabit; (et longissima quidem vita brevior est quàm quæ ad tale studium sufficiat.) Libris doctorum incumbendo, et ægrorum lectulis assidendo, noctes diesque consumet; nec curæ nec labori parcet, quò ad majorem de his rebus cognitionem perveniat.

Cum aliis et majoribus quidem difficultatibus Medico sæpe certandum est, non solùm quia de eodem morbo scribentium observationes inter se discrepent, sed quia temperamenta et *crases* peculiares ægrorum, alia ab aliis, toto cœlo sæpe diversa inveniantur. Quoniam igitur Medicinam, talibus irretitam difficultatibus tantisque nebulis et caligine coopertam, "artem conjecturalem" haud injustè quamvis contumeliosè, quidam designavêre; quàm mirum est eas partes in tali studio adeo negligi, quæ demonstrationis arithmeticæ capaces esse videntur.

Fieri potest ut datum quemvis morbum medicus depellat, alium depellere nequeat: ubinam autem inveniemus qui morbi cum quo certet, frequentiam et mortalitatem, vel positivam vel relativam, pronunciare audeat?—Peritiâ quivis mediocri præditus, alios rariùs, sæpiùs alios occurrere morbos proculdubio dicere potest; nec immedicabiles alios, alios paucis mortiferos esse fortasse ignorat. Ubinam autem medicum inveniemus, quantumvis ætate et usu in rebus medicis

versatum, qui simplex illud Sauvagesii votum explere possit, "utinam numerus respectivus diversorum morborum à nostratibus inquireretur?"—Quæ cùm ita sint, medicus haud absimilis videtur duci, qui, exercitu in locum cujus naturam et situm ignorat deducto, instruxit aciem contra hostem, cujus copiarum et numerum et ordinem æquè ignorat.

Talibus inclusum angustiis, Respublica sola medicum eripere potest. Nec Imperii præsides istiusmodi rem a se alienam putare debent, quippe quæ non solùm bono publico maximè profutura, verùm etiam ipsis æquè ac Medico ad propria munera rite fungenda lucem allatura sit.

In hâc igitur dissertatione, (quæ ex necessitate multò brevior quàm pro rei magnitudine erit) quærere institui quibus modis fieri possit, ut ea, quæ et medicum, et *Politicum* et *annuitantem* æquè scire oporteat, facillimè colligantur. Fontes igitur, è quibus hauriantur talia, primùm monstrabo; deinceps monita quædam, quibus hæc utiliora reddantur, aptasque quasdam illustrationes, quibus nonnulla è commodis exinde orientibus intelligantur, quàm brevissimè potero, proponam.

Unumquemque, cui rerum publicarum cura commissa est, quique officio peragendo haud impar esse cupit, *imprimis* cognoscere oportet numerum, vitæ conditionem, negotia, religionem et indolem Gentis cui præfectus est; et negotio tali occupatus, cognitionem non solùm generalem sed usque ad minutias rerum in regione quâque insigni deductam, possidere debet.

Eadem hæc omnia ob rationes et proposita, diversa quidem et mox dicenda, medico æquè nota esse pro-

culdubio convenit: imò, qui rem medicam scientèr colit, talia arctiùs etiam et minutiùs intueri decebit.

Secundò, vix denegandum est, quin rerum publicarum administrator, cujus officium est accuratum populi censum habere, pariter etiam aliquatenus perpendere debeat quibus ex causis numerus ejusdem vel major vel minor fiat. Quem ad finem ei suppetere debent Tabulæ mortuorum in omnibus regni partibus, æque ac nascentium et connubio junctorum: quæ tabulæ non solùm plagæ cujusque mortalitatem, verùm etiam morbos, quibus hæc ipsa effecta sit, accuratè designare debent. Cui medici nomen jure inditum est hæc auxilia magnopere prosunt, nec minus ei, qui rem familiarem calculis justis de spatio vel longiore vel breviore hominum vitæ, augere cupit.

At neque reipublicæ administratori, neque medico, mortuorum tabulæ, quamvis accuratæ, omnia quæ de his rebus uterque cognoscere debet, omninò præbent. Ex iis proculdubio, unà cum censu justo, non solùm regni et diversarum ejus partium mortalitatem positivam, sed etiam morbos qui verè lethiferi extitêre, et unius et ejusdem morbi in locis diversis mortalitatem diversam discere queunt: quantitatem autem morborum positivam aut cladem relativam aliis sine rationibus stabilire nequeunt.

Constant operationes hæ. statisticæ 1mo. è Populi Censu, intervallis equalibus regularitèr sumpto, unà cum codice numerum nascentium et connubio junctorum continente; 2do. è Tabulis generalibus fidelibusque et ad amussim emendatis de mortuorum numero: 3tio. ex ægrorum Catalogis, quotannis recensitorum e nosocomiis institutisque variis ubi dispensantur medicamenta.—De commodis ex harum operationum

unaquâque orientibus, vix dubitari potest: utilitates autem summas ex iis conjunctim coortas pauci pro magnitudine æstimare queunt, nisi priùs principiis accuratis stabilitæ, per aliquot annos in usu sint, et ne ita quidem, nisi ratione debitâ iisdem simul locis et temporibus instituantur.—Quæ de hisce rebus scribere volo, ad Magnam Britanniam et Hiberniam solùm spectant, nec quicquam ultra hos limites exquirendum putavi: in imperfecto autem harum summi momenti operationum statu, quæ vel corrigenda vel mutanda videantur, ea breviter notabo.

1°. DE CENSU POPULI.

Summa hujus operis utilitas adeò antiquis patuit, ut inter eos, qui cultis moribus celeberrimi erant, usu sancitum, legibus quoque constitutum, inveniamus. Peragendi modus autem imperfectus videtur, quippe qui liberos cives solos, nullâ servorum, qui numero plures extitêre, ratione habitâ, complexus est. Populum numerandi cura, tanquam summi momenti munus, Censoribus Romæ commissa fuit; qui codices insuper publicos, secundum Ulpianum, de morborum frequentiâ et mortuorum numero regulariter asservabant. Quod si verum sit, in propatulo est eos censendo populum nil aliud voluisse, nisi ut res *statisticæ* palàm fierent, nec rationem tantùm habuisse numeri hominum, qui pro necessitate publicâ in auxilium vocarentur. Consuetudo tamen ita enumerandi populum, sive antiquior sive recentior habenda sit, in Britanniam certe nuperrimè recepta est, ubi res antea, datis parùm certis suffulta, variis opinionibus arithmetico-

rum politicorum relicta fuit. Nunc autem, quando sit decimo quoque anno instituta, spes est fore uti vicibus recurrentibus emendatior evadat, præsertim cùm populo sic consuetior fiat, et experientiâ docti plus sapiant actores, auxiliaque excogitentur, quibus rationes redditæ meliùs dirigantur et corrigantur.

Census quidem ultimus, anno 1821, effectu satis felici habitus est; ex eo etenim patuit numerus domorum et habitatarum et non habitatarum, et earum pariter quæ incolis caruêre et quæ ædificabantur. Ex illo etiam censu colligi potest, quot familiæ agrorum cultu, quot manuum operibus occupatæ, et quot aliis modis ab his distinctæ, vitam degebant. Sexûs utriusque et numerum et ætatem quoque in ordinem redegit; unde Dominus Rickman, harum rationum doctus et assiduus auctor, multa ad utilitatem publicam spectantia collegit quæ Imperii totius conditionem, tam positivè quàm comparativè, illustrarent.

Eodem fere tempore Hiberniæ Census quoque habitus, qui ob insulæ istius statum haud sinè labore gravi, subactis priùs non parvis difficultatibus, ad finem perductus est. Ille Hiberniæ census verè primus fuit, quoniam conatus iste prior, anno 1810 susceptus, scopum omnino non attigit; et Domino quidem Mason laudi non parvæ ducendum est, quòd, quùm res ita se haberent, censum hunc posteriorem adeo plenè collegit et composuit. Magnæ Britanniæ et Hiberniæ Census in quibusdam partibus inter se non conveniunt: censum autem nunc in utrâque regione instituendum accuratè similem fore, sperandum est. Census Britannicus agri cultores ab iis qui opificiis vitam sustentant per familias distinguit; Hibernicus autem per singulos homines. Hic in eo quoque

imperfectus est, quòd marium et fœminarum ætates simul et non separatim, sicut in Censu Britannico, profert. Qui defectus eò graviùs ferendus est, quò magis ætatum ratio in Hiberniâ (quod aliquis forte miretur) quàm in Britanniâ plena et ad perfectionem usque pene absoluta est: nam defectus in hâc nonam ferè partem, in illâ autem octingentesimam totius populi amplexus est. Aliam etiam ob causam hicce distinctionis sexuum defectus dolori esse debet, quoniam in Hiberniâ et in duabus provinciis præcipuè, ut mox apparebit, fœminæ *relativè* multò pauciores sunt quàm in Britanniâ: optabile ergo foret pro certo cognoscere quibusnam ætatibus tanta proportionum variatio manifestissima sit.

Britannicum inter et Hibernicum censum observari potest alia quoque differentia, plorabilis quidem et quam ad tollendam curâ senatûs non levi opus erit. De numero in lucem partu prodeuntium, mortuorum, aut connubio junctorum ne conjectura quidem in censu Hiberniæ reperitur, neque alibi inveniuntur documenta, quorum ope de his rebus aliquid conjicere queamus. [a]

---

[a] Dominus Mason sic scribit, "With respect to parish registers in Ireland, the Board of Commissioners on the Public Records, in their Report for 1812 state, (and with much truth,) their conviction of the public importance of their due arrangement and preservation, and also of the long experienced inefficacy of the law as it now stands to attain these objects; for which reason they strongly recommend, that the provisions of a bill for the better regulation and preservation of parish and other registers of births, baptisms, marriages, and burials, and for establishing general repositories for all such registers in England, should be extended also to Ireland, where some legislative provision for the like purpose is certainly very much wanted."

In toto tamen adeò plenus et perfectus est census Britannicus, ut, nisi in paucis haud magni momenti partibus, vix aliquid addendum esse videatur: 1*mo*, De variis hominum negotiis tabula omnia, quæ oportet non continet; quatenus distingui debent facultatis cujusque professores ab eorum classe qui re familiari suâ vivunt; nam hæc classis ab omnibus aliis separatim censeri deberet. Ut census sit verè accuratus et quoad tabulas mortuorum perutilis, numerum insuper Sacerdotum religionis cujuscunque, Jurisperitorum, Medicorum, Ludimagistrorum, Studentium, Mercatorum et ingenuarum artium cultorum singulatim recensere debet. Qui labore quidem indefesso censum Hibernicum composuit talem calculum paravit: ut Hibernicus autem censui Britannico consimilis esset, addere omisit, quanquam sub appendicis formâ documentum magni pretii foret.[b]

2*do*, In capite quod numerum hominum ostendit, e re admodùm esset speciatim denotare, quot sint cujusque religionis: quot peregrini, quot orbi, quot connubio juncti, quot viduæ, viduique.[c]

---

[b] Dominus Mason de hac re sic loquitur, "The occupations were classed under the more general heads of agricultural, manufacturing, handicraft, &c., trading, liberal professions, and other occupations, &c. This enlarged system of classification, by means of which the actual occupations of the whole population of Ireland would have been spread out as in a picture or on a map, has been since contracted, in conformity with the mode adopted in the census of Great Britain, into three columns, specifying merely the number of persons chiefly occupied in agriculture, in manufactures, and in occupations not included under either of these heads. Means, however, exist, in consequence of the manner in which the census of Ireland has been taken and arranged, of furnishing, if necessary, a more particular detail."

[c] Numerum viduarum majorem esse quam viduorum bene notum est:

3*tio*, Ædes etiam enumerando, præcipuè distinguendum est quot sint privatæ, et quot publicæ, quot officinæ, quot mercium receptacula, quot religioni dicatæ, quot hospitia, quot tabernæ, quot diversoria, &c.

In ætatum denique distinctione, (id quod medici præcipuè interest,) cura major desideranda est, si cum nascentium et mortuorum numero numerum vivorum comparare velimus: hunc in finem numerus vivorum in unoquoque anno à primo ad quintum proferri debet; et inde ad centesimum quinis melius quam denis annis progrediendum est. Ut res hoc modo tractetur, assiduus et accuratus Doctor Price magnopere hortatur, in eâ præcipuè parte, quæ ad mortuorum tabulas spectat: quod si in illo casu, non minùs in hoc, fieri expedit.[d]

Quanti talis census sit æstimandus facilè innotescit, præsertim si codicibus accuratis (qui nobis non suppetunt) morborum et mortuorum rationem reddentibus, conjungatur. Plura de hâc maximi momenti operatione dicendo, tentamen hoc ultra limites jus-

---

unde colligitur major marium mortalitas. Quænam sit proportio hujus mortalitatis relativa, haud inutile foret pro certo cognoscere. "Hence it follows," secundum Price, "that in order to calculate the values of life annuities and reversions with exactness, there ought to be distinct tables of the probabilities of life for males and females. All that is necessary to obtain the proper data for forming such tables is, that the sexes as well as ages of the dead should be specified in the Bills."

[d] "These Bills," ut dicit Doctor Price, "would be still more useful, did they give the ages of the dead after ten, within periods of five, instead of ten years. During every period so short as five years, the decrements of life may, in constructing tables, be safely taken to be uniform. But this cannot be equally depended on in periods so long as ten years."

tos ad lectoris tedium (quod nollem) fortasse protraheretur. Unum igitur solum, quod ex eensu ultimo manat, hìc leviter attingam: Quanti autem sit momenti, optimè ab iis est æstimandum, qui dc rerum Politiearum Œconomiâ ct questionc ad populi multitudinem pertinente legibusque quibus regitur, tam acriter eertant.

A eensu regionis eujusque hactcnus habito, hoc unum singulare quidem revera colligimus, nempe quòd, mares quamvis plures ubique nascantur, fœminarum tamen exeessus verus et uniformis existere inveniatur.[e] Excessus hicee non solùm in regionibus diversis, sed etiam in diversis ejusdem regionis partibus, et interdum sine ullâ eausâ manifestâ, maximè variat. Sic Britannieum et Hibernieum eensum intuendo, fœminarum exeessus esse rcperitur in

Angliâ,	294,079	vel ferè	$\frac{1}{38}$a.	pars totius populi.
Walliâ,	16,464	———	$\frac{1}{43}$a.	——— ———
Scotiâ,	126,352	———	$\frac{1}{16}$a.	——— ———
Hiberniâ,	117,975	———	$\frac{1}{57}$a.	——— ———

Angliæ et Hiberniæ eensum ulteriùs investigando, differentiæ adhuc insigniores in lucem proferentur. Cùm Hibernia in quatuor provincias, inter se non dissimilcs (si limites earum, non res, tantùm spectemus)

[e] Exceptio, quæ *apparens* rectè dicenda esset, in Rebus-publicis Americanis reperitur, ubi, paucis tantùm exceptis, mares plures sunt. Res autem hæcce explicatu haud difficilis ex magno marium numero qui illuc migrare solent, et sexui igitur suo excessum quendam artificiosum et fluxum migratione tam frequente præbent; nam Lex eadem Naturæ illic æquè atque alibi valet, si regionis illius indigenas vel qui illic nascuntur, respicere velimus.

divisa sit, et excessus fœminarum in singulis provinciis insigniter variet, laborc, qualiscunque fuerit, interritus, Angliam similiter divisi, ut institutâ comparatione, proportionum adeò inæqualium causam probabilem inde colligere conarer. Operatione hâcce fœminarum excessum, ut in tabulâ sequenti, variare reperi: videlicet, excessus fuit in

Divisione Septentrionali, (9 comitatus complexâ)	68,565..	.. $\frac{1}{51}$a.
——— Occidentali, (Cambriam et sex com. complexâ)	21,725..	.. $\frac{1}{67}$a.
——— Orientali, (Londinum et 16 com. complexâ)	130,268...	.. $\frac{1}{29}$a.
——— Australi, (decem comitatus complexâ)	89,985..	.. $\frac{1}{32}$a.

vel pars ferè totius populi,

In Hiberniæ provinciis autem proportionum variationem eam esse inveni, ut fœminarum excessus sit in

Ultoniâ,........	62,372....	vel pars....	$\frac{1}{32}$a.
Lageniâ,.........	37,896....	———	$\frac{1}{46}$a.
Momonia,......	15,374....	———	$\frac{1}{125}$a.
Connaciâ,......	2,333....	———	$\frac{1}{475}$a.

Notare quoque haud alienum videtur, proportiones utriusque sexûs primariis in urbibus Angliæ et Hiberniæ adeo discrepare, ut fœminarum excessus Dublini sit major, 19,175 scil: vel pars ferè $\frac{1}{11}$a. totius ejus populi; dum Londini sit 85,222 vel pars ferè $\frac{1}{14}$a.

Nec prætermittendum est quòd ex comitatibus Lageniæ duodecim, tres marium numero superant, quatuor alii mares et fœminas ferè æquales ostendunt. Duo è Momoniæ sex comitatibus plures gignunt mares, dum quatuor reliqui sexum utrumque quam

proximè æquant. Fœminarum igitur excessus in hâc provinciâ tribus ejus magnis urbibus præcipuè debetur. E quinque Connaciæ comitatibus duo maribus superant, duoque ferè æquantur: unus autem tantùm è comitatibus Ultoniæ novem mares fœminis aliquatenus æquat.

Attamen quod ad Magnam Britanniam spectat, in omnibus Scotiæ comitatibus genus fœmininum semper prævalere videtur. Angliæ autem comitatus, in quibus solis genus masculinum numero præstat, sunt, in Divisione *Septentrionali*, Lincolnia; *Occidentali* Staffordia et Monumethia: *Orientali* Comitatus Oxoniensis et Essexia: in *Australi* denique Sussexia: et præter hos, sunt alii septem Comitatus, in quibus sexûs utriusque numerus idem ferè est.

Hisce rebus adeo insignibus et proportione communi alibi existente ritè perpensis, causæ tantarum variationum minimè patent. Quod ad Hiberniam autem attinet, notatu facile invenimus fœminarum excessum in singulis provinciis eò majorem vel minorem esse, quò moribus populus exeultior aut asperior sit: ex. gr. in Ultoniâ excessus iste est maximus et ferè idem atque in Angliâ: in Lageniâ gradatim minuitur, dum in Momonia et Connaciâ quàm minimus evadit.[f]

---

[f] Hic notare oportet plures ex Ultoniâ quam ex cæteris provinciis mares, et nunquam reversuros, migrare; dum è Momoniâ et Connaciâ præcipue multa millia hominum, qui ante finem anni revertuntur, quotannis in Angliam ad messem colligendam commigrant. Quoniam per menses æstivos census Hibernicus fuit habitus, inde inferri potest, multos marium et Connaciensium et Momoniensium tunc temporis vel in Angliâ vel alibi abfuisse; et eorum igitur proportionem ad fœminas majorem esse, quàm ex Censu apparere videatur. Quid de hisce rebus censendum, si Domini Sadler aliorumque doctrinam respiciamus, Infantis, scilicet, sexum ætate al-

Sed unde abii ut redeam: Census Imperii perfectus magnarum urbium et populi rusticani quoque multitudinem distinguere debet. In quem finem, omissâ penitus artificiosâ illâ "centenarum" partium et parochiarum divisione, oppidi uniuscujusque, quò incolarum supra quinque millia sint, censum separatum instituere oportet, secundum methodum quâ Dominus Mason, populi Dubliniensis multitudinem censendo, usus est.

Nuptiarum, natalium, et baptismatum codicibus, ut sint perfecti, deest aliquid adhuc in Angliâ et plus in Scotiâ: nempe in hâc regione pauci et valde imperfecti sunt, et in illâ nec Judæos, nec fidem Romanam profitentes, nec varias dissentientium denominationes complectuntur: hosce tamen defectus supplere haud difficile: adsit votum, adest potestas. In Hiberniâ autem (ubi, ut antea dictum, nulli sunt,) tales codices legibus sancire et usu stabilire "hic labor, hoc opus." Effici tamen ("si quid est in me judicii") et potest et oportet, et si codices illos unà cùm tabulis mortuorum instaurare simul et extendere per totum Imperii Bri-

---

terius e parentibus provectiore ita affici, ut si matre multò senior sit pater, proles eorum virilis fœmininâ numero major futura sit. Sorte parùm felici nullæ nascentium (paucis exceptis) tabulæ in Hibernia fiunt, nec in Censu ulla sexuum distinctio inter datas ætates invenitur, unde hunc nodum solvere queamus. Nodus hicce multò difficilior ex eo fit, quòd, mares in Ultoniâ prudentiores esse quàm in reliquis provinciis, et ad nuptiarum tempus igitur seriùs ac tardiùs pervenire, creditur; unde virorum uxorumque annos in istâ provinciâ magis inæquales fore constaret. Ex hâc theoriâ autem sequeretur, plures generis masculini in Ultoniâ quàm in cæteris provinciis nasci debere. Res tamen aliter se habere videtur, si e *Vivorum* numero nobis judicium facere permittatur. Hæc quæstio autem citiùs, certiùs et faciliùs solveretur a tabulâ istâ in usum nosocomiorum pro receptu parturientium, quam in appendice depinxi, simodo per biennium accuratè inscripta et asservata sit.

tannici orbem Respublica suscipere vellet, rem et faciliorem et utiliorem et minore sumptu oneratam quàm a priori quis putaret, administratores invenirent.

2do. DE TABULIS MORTUORUM.

Census semel habitus, et postea dato quovis intervallo repetitus, rectè corrigi potest, *dummodo* natorum et mortuorum codices accurati per idem intervallum regulariter asserventur; et *dummodo præterea* populi multitudo neque emigratione neque immigratione admodum afficiatur. Per ejusdem temporis spatium natorum præ mortuis, sive mortuorum præ natis, excessus, Censûs præcedentis numero vel additus vel subductus, prout res sit, cum Censu ultimo congrueret; *si modo* emigrantes et immigrantes numero haud valde dispares essent. Si Censûs hujusce summa sit major, immigrationem prævaluisse patet; sin minor, plures regionem reliquisse quàm qui aliunde domicilia illic posuerint, æque clarum est. Quoniam tamen his modis regionis cujusque populi multitudo plùs minùs afficitur, nemo est qui nesciat mortalitatem nec positivam nec relativam, nisi quot fuerint sedium mutationes accuratè notum sit, tutò colligi posse, etiamsi duo census et numerus hominum, qui in spatio interjecto nati sint, ante oculos versentur.

Tabulæ mortuorum accuratæ non solùm ad Censum corrigendum proficiunt, verùm etiam eò pluris sunt æstimandæ quòd Medicinæ Philosophiam, quæ absentibus iis pede parùm fausto progreditur, multùm adjuvant. Ad prius propositum explendum suffi-

ceret, ut tota mortuorum summa palàm fieret; non autem ad posterius, quod oppidi, quoque, regionis et territorii cujusque cladem specificam simulque ætatum, negotiorum et sexuum, morborumque præcipuorum, quibus strages illa provenerit, rationem perquàm accuratam posceret. Per totum Magnæ Britanniæ spatium talis mortuorum Census nusquam reperitur. Mortuorum tabulas legibus sancitas Londini existere concedendum est; sed quales tabulæ! jam antea satis dictum. In oppidis nonnullis voluntate civium meliùs asservantur: mortuos autem per totam regionem censendi nullum systema constitutum habemus: ideoque neque rerum publicarum administratori neque medico ea, quæ fide digna habeantur, de his rebus tutò deducere licet. Eorum, qui egregiis Dominorum Graunt, Short, Percival, Price, aliorumque operibus studium impendunt, quisnam de naturâ propositionum magnoperè æstimandarum, quæ ab iis disquiruntur, hallucinari potest? Aut quis "temperet a lacrymis," quùm planè pateat, quòd, ob harum tabularum statum, multæ ex hisce propositionibus pro conclusionibus certis et claris, e præmissis concessis deductis, dubiæ vel verisimiles tantùm relinquantur. Num hæc ita se habere oportet? Aut parvi æstimanda sunt, quæ è talibus tabulis colliguntur? Scientiâ et calculorum ratiocinatione celeberrimus vir de iis, quæ hìc objiciuntur, respondeat. Sic scribit Price, "it is extremely to be wished that these Bills were less imperfect than they are, and extended further: the advantages arising from them would be very considerable. It would give the precise law according to which human life wastes in its different stages, and thus supply the necessary data for computing accurately the value of all life an-

nuities and reversions. It would likewise show the different degrees of healthfulness of different situations, mark the progress of population from year to year, and in many other respects furnish instructions of the greatest importance to the state." "These Bills should also contain not only a list of the distempers of which all die, but they should specify particularly the numbers dying of those distempers in the several divisions of life. Accurate registers of mortality kept in this manner, in all parts of the kingdom, and compared with records of the seasons and of the weather, and with the particular circumstances which discriminate different situations, might contribute more than can be easily imagined to the increase of physical knowledge."

Tabularum nunc existentium quamvis defectus sint maximi, tanta sunt tamen commoda, quæ ex iis in hoc statu manant, ut admiratione æquè ac dolore dignum esse videatur, tabulas hasce ad hunc usque diem, remedio nullo adhibito, annalium nostrorum *statisticorum* opprobrium permansisse. "When every succeeding year teaches us to lament that our ancestors were ignorant of the great objects to be attained by extending these Bills," an diutiùs dicetur "that with our eyes open we neglect the lesson, and seem disposed to revenge the loss we have sustained from our predecessors, by transmitting it to our successors unrepaired." Reprehensionem talem, haud indignè objectam, diutiùs mereri æquo animo sustinebunt legum latores gubernatoresque Britannici? Aut ob talem tantamque rem carbone notari patienter adhuc ferent, tempore præsertim quo investigationibus statisticis ad amussim emendatis, tam de vivis quàm de

mortuis, omnes fere Europæ regiones Angliam longè antecedunt.[g]

Verbis simplicibus quidem, ad rem autem aptissimis, Spiritu Divino afflatus Psalmista veritatem, quæ nunc æquè ac tunc dierum ad hominem attinet, sic effudit; "In diebus ipsis annorum nostrorum sunt septuageni anni aut (ut simus valentissimi) octogeni anni: etiam excellentissimum eorum laboriosum est et molestum: quo festinè exciso, avolamus."—*Ps.* xc. *v.* 10. Annos totidem et multo plures aliquando quamvis expleat homo, quàm paucis tamen e multitudine illâ immensâ, vitæ curriculum ineunte, metam istam adire contigit! Quot capitum millia, cœli luce nondum visâ vel tantummodo visâ, quot pereunt? Priusquam nutricis ulnas linquere valeant, quot tumulo obruuntur? Rationis orientis ipso initio, quot nobilem istam facultatem exercere citò desinunt, et parentes sortem suam dolentes post se relinquunt? Ætatis virilis robustæ, mentisque capacioris post promissum fallax, quot juvenes morte immaturâ spes nostras frustrantur? Quot filiolæ Evæ, formâ præstanti vigentes, florum ritu metuntur? Dum vitam impertiunt, quot matres suam

[g] In opere suo de populi multitudine nuperrimè edito, et ob utilitatem non minus quàm ob laborem admodùm laudando, Dominus Sadler his verbis utitur, "to the scandal of those whose situation has enabled them to afford it, this country possesses no series of authentic facts, whereon to calculate accurately the expectations of life, and the law of mortality prevailing in the general population." Quisnam autem meliùs, si non efficaciùs, labem hanc Imperio inustam eluere potest, quàm ipse Dominus Sadler, utpote qui et senatoris et de eà re scriptoris munere fungitur? Adeò multa et tanti sunt momenti quæ collegit, et ad utilitatem adeo spectant quæ exinde deducit, ut mihi dolori haud mediocri sit, me Theseos hujusce majorem partem Latinè reddidisse (et cùm moræ non esset locus) antequam, occasione mihi oblata, opus ejus videre potuissem.

amittunt? Viduas lugentes liberosque quot patres relinquunt, priusquam clepsydræ dimidium exhauriatur; et mortem præmaturam parentum quot orbi lugubres monstrant? Filiis et filiabus Adami tot deductis, quàm pauci e relictis annum decimum et sexagesimum attingunt?

Totidem victimis, quæ quotidie et in horas sepulchro committuntur, enumeratis, inquisitionem, quâ numeros eorum fato immaturo obeuntium, et morbos causasque luem tantam excitantes pro certo cognoscamus, quis inutilem, quis curâ quam maximâ indignam dicere audebit? Nemo certè, qui " humani nihil a se alienum putat," tale studium aspernabitur, vel nullius momenti æstimabit. Quanti igitur æstimanda sunt hæc studia non solùm medico, qui ægros sanare vult; sed etiam nummorum amatori qui damna evitare cupit: rerum denique publicarum ministro, qui regionis sibi commissæ et vim et infirmitatem cognoscere debet.

Statisticorum scientia, adæquatâ basi stabilita, de multis rebus utilissimis et curâ dignissimis, medicum certiorem faciet. Primò enim in quibus hominum classibus et quânam vitæ periodo, quibusque proportionibus mors sit præcipuè timenda docebit. Deinceps morbos, qui mortem intulerint, exhibebit, et causas eorum indicando, methodos efficaciores quibus vel curentur, vel penitùs prævertantur, in lucem proferet. Morborum denique historiam ideòque prognosin et medelam tutiorem accuratioremque reddet: novorum originem veterumque malorum statum evanescentem notis distinctis signabit: morbosque diversis cœli plagis, vivendi modis, variis vitæ professionibus, arti-

ficiisque exorientes et quibus naturâ maximè proclives sumus, insuper monstrabit.

Scientia, quæ sic medicum adjuvat, æquè prodest illi, qui calculis de Vitarum "expectatione" ineundis pericula sua ritè æstimare, quibusque modis damno tutissime obviam eatur, statuere velit. Nec minora commoda rerum publicarum administratori præbebit, qui ex eodem fonte principia consiliorum ducere poterit, quæ alibi minùs tutò quæret.

Quoniam ea, de quibus in hisce paginis agitur, ad proposita quædam legibus fulcienda et novo principio stabilienda præcipuè spectat, quænam sint ista quæ in tabulis emendatis invenire oporteat, exhibere imprimis expedit, comparationeque hæc inter et ea, quæ nunc suppeditantur, institutâ, deinceps utrùm modis nunc proponendis, vel ob sumptum vel ob difficilem rei naturam aliquid verè objici possit, nobis inquirendum est.

Mortuorum ætates morborumque lethiferorum nomina suppeditant nobis hodiernæ Londinenses tabulæ. Qualia autem sunt ista nomina? Obsoleta, nempe, obscura et inexplicata, quæ neque a medico neque a populo intelliguntur, utpote quæ morbos vel veros vel fictos minime designant: nec mirum quidem, cùm apud ignarum vulgus originem habeant.[h] Morborum autem nomina mortuorumque ætates quamvis præbeant hæ tabulæ, parùm tamen inter se connexæ,

---

[h] Exempla pauca hic proferre haud alienum erit. Quid de nominibus sequentibus et quæ in tabulis etiam nunc apparent, cogitandum? videlicet, "Flox and small pox, cancer and canker, rising of the lights, stoppage in the stomach, liver-grown, head-mould-shot, horse-shoe head, and water in the head, &c. &c,

quoniam quibusnam perierint morbis, qui datæ alicujus ætatis essent, haudquaquàm ex iis patet: nihilò minùs, quasi quàm maximè essent æstimandæ, neminem Londini sepulchro committere licet, nisi ratio ab "Indagatrice" reddita priùs audita sit. Quùm istiusmodi legi Urbs Angliæ primaria diù submissè paruerit, spes est ut catalogos mortuorum utiles emendatosque reddere cives facilè adduci possent; exemploque inde sumpto, idem ex necessitate in omnibus totius Imperii partibus sine Indagatricis ingratâ visitatione similiter fieri posse, constat.

Propositio, ergo, quam in hunc finem proferre volo, hæc est, ut æedituo cuique, sacristæ aut cuicunque sepulchretorum commissa cura est,[i] liceat mortui sepulturam recusare, nisi priùs a medico, vel (si nullus ægro medicus adfuerit,) a parochiæ vel mortui familiæ clero,[k] libellum acceperit, qui, inter alia singulatim recenseat: 1*mo*, Individui prænomen et cognomen[l]: ætatem, religionem, vitæ genus vel professionem, et insuper

---

[i] Ad familias et sectas etiam quædam sepulchreta pertinent; unde aliter fieri non posset ut plena mortuorum ratio haberetur. Propter causam quoque sequentem, ut ait Price, turbatæ ratiocinationes nostræ in magno errore versantur: sic paucis rem tractat: "None of the births among Jews, Quakers, Papists, and the three denominations of Dissenters, are included in the Bills, whereas many of their burials are."

[k] Morbum, quo perierit mortuus, designare poterunt (saltem haud multùm errabunt) cleri religionis cujuscunque, utpote qui ægrorum lectulis assidere sæpissimè solent, et morborum naturam experientiâ frequenti aliquatenus sciunt. Quòd si quis, neque a medico neque a clero visus, subito interierit, alterutrius tamen intelligentia generalis, post investigationem rite habitam, designationem verisimilem morbo tribuere valebit.

[l] Si propositio, quam mox submissurus sum, (ut hi scilicet, calculique alii documenta fiant legalia) benignè accipiatur, nuptarum in illo casu omnium viduarumque nomina virginea etiam addere oportebit.

utrùm cœlebs, uxor, maritus, aut viduus aut vidua fuerit: 2*do*, Natale solum, domicilium usitatum, et locum, quo obierit:[m] 3*tio*, Moriendi tempus, morbi nomen et nosologicum et vulgare,[n] durationemque: causas quoque mali verisimiles, et utrùm cadaveris sectio ad mortis causam et naturam morbi illustrandam permissa fuerit: 4*to*, An vivant adhuc parentes; quot fratres sororesve reliquerit, quot mortui sint et quoto ætatum anno, quibusque morbis erepti fuerint.[o]

Medicis, chirurgis, pharmacopolis, cleris religionis cujuscunque et parochiarum apparitoribus oporteret

---

[m] In nosocomio vel ergastulo, in carcere aut asylo lunaticorum si mors obvenerit, oportebit loci æquè ac parochiæ ratio habeatur. A solo natali, tamen, domiciliove usitato fieri potest ut locus quo obierit longè dissitus esse inveniatur: et hinc, de locorum diversorum mortalitate, vel positivâ vel relativâ, conclusiones erroribus differtæ deducentur, nisi distinctio hæcce in animo benè asservetur. Sic mortuorum Londini numerum verè æstimando, memoriâ firmiter tenendum est, multos illic morborum vi alibi contractorum è vivis excedere, et multò plures è contrà alibi, qui morbis illic correpti vel rura vel exteras regiones petendo remedia quærunt. Hos omnes, quantùm fieri potest, distingui, et subditorum Britannicorum in regionibus exteris morientium numerum haberi oportet: et hoc insuper quærendum esset, utrùm peregrè an domi contractis morbis, illis perire contigerit.

[n] Quoniam in regionibus diversis, et etiam inter medicos diversos ejusdem regionis phrasis nosologica (nuperrimè præsertim) maximè et nocivè variat, nomen morbi vulgare (si quod habeat,) ne sit errori locus, addendum est.

[o] Hoc caput quartum quæstiones libello haud prorsus necessarias amplectitur ideoque omitti potest: sed quoniam multa et curâ dignissima de familiarum quarundam longævitate et morbis inde colligere possimus, hæc omnia rectiùs et meliùs elicienda sunt; nam totam rem, utpote documentum legitimum et ad lites solvendas validius, confirmant; eo tempore insuper constructam, quo tentationis nil subesse potest, ut aliquid falsi in calculis reddatur.

ejusmodi libellorum formulæ impressæ præberentur: è quibus, mensibus singulis vel tertio quoque mense pararentur tabulæ impressæ cum lineis ad regulam in chartâ ductis. Hasce tabulas parandi, sacristæ vel sepulchreti curatori cuicunque committenda cura est; et calculi ex iis deducti per menses singulos aut spatia quæque trimestria, ut supra dictum, unà cum libellis ad medicum,[p] qui huic muneri in quâque portione Imperii præfectus erit, mittendi sunt. Calculis talibus ab illo in classes et ordines secundum formulas impressas ritè redactis, omnium simul ratio quotannis vel sæpiùs, ut suprà dictum, habita, rerum publicarum ministro domestico transmittenda est, qui in usum publicum eandem ad senatum referat.[q]

Eximia commoda, quæ talibus è tabulis planè manarent, (præsertim si censui accurato conjungantur et tabulis morborum illustrentur,[r]) scientiæ non minùs quam rebus politicis maximè profutura, jam partim enumeravi, nec de eâ re nunc quicquam amplius addam. Quoniam autem de consilio a me jamjam proposito quæstio haud parvi momenti oriatur, nempe utrùm, id quod censeo fieri possit; et dein utrùm sumptus commodè ferendus sit: ea igitur, quæ de his rebus mecum in animo excogitavi, breviter edam.

---

[p] De hujusce Rei naturâ, et necessitate inde exoriturâ cum medicis per litteras sæpissimè communicandi, sequitur, ut qui hoc munere bene functurus sit, artem medicam reverà profiteatur et studia statistica prætereà sapiat.

[q] Vide Epistolam in Appendice ad Honoratissimum Robertum Peel, anno 1828, scriptam.

[r] Nonnullarum ex his tabulis exemplum reperiri potest in eà calculorum ratione, quos ab omni parturientium nosocomio exigere vellem.—Vide Appendicem.

Ex supra dictis autem facile patet, utrùm fieri possit hocce consilium meum; quæstio enim vel ad actores vel ad eos tali consilio afficiendos spectat. *Illi* è variis medicis, cleris religioni cuicunque addictis, et nonnullis è parochiarum apparitoribus constant: Medicos clerosque libellum necessarium ultrò concessuros non dubium est, nec lege quâ cogantur opus est: quantùm reipublicæ proforet hoc documentum, utrisque benè notum, et prætereà cum defuncti familiâ adeò sunt intimè conjuncti ut in re tali nequaquam hæsuri sint: nec mercede proponendâ opus est quâ ad tantillam operam suscipiendam adducantur. Consilio affecti, è populo universo constant:—qui cultorum ordinum sunt tali legi promptè obedirent; et artem medicam profitentes, et præcipuè cleros documenti hujusce naturam et pretium plebi explicare oporteret. Præterea, quoniam Londinum cum tantâ populi multitudine ordinatione multò magis ingratâ (quæ tunc tolleretur) diu laboraverit, vix dubitandum quin in urbe primariâ talis lex benignè acciperetur, et priusquam unus præteriret annus, genti universæ æquè placeret, utpote quæ professionibus duabus, quarum beneficia et consilia æstimare optimè novit, plebem tantùm arctiùs conjungeret. Sub novâ lege pauxillum oneris sustinebit parochiæ apparitor, cujus officium erit libellos in tabulas impressas transcribere et ad eum, qui huic muneri præfectus erit, transmittere. Tabulam quoque ejusdem generis parochialem, quæ in libro ad illum ipsum usum parato asservetur, parari necesse erit.

Consilium jam prolatum in Magnâ Britanniâ facilè perfici posse ex eo patet, quòd legibus obedientissima et familiari similium operationum usu exercita

sit. In Hiberniâ autem, et prudenti rerum administratione, et spatio quodam temporis ad præparationem opus erit, priùsquam decretum, (quod tabulas et de nascentium et connubio junctorum et mortuorum numero posceret,) illic quietè accipiatur. A censu ultimo, quanquàm et odio et terrori fuerit, ejus incolæ non abhorruêre, propterea quòd sacerdotes sese sapienter ei interposuêre; minimè igitur dubitandum est, quin eadem illa interpositio, prudenter adhibita, in rebus, quarum cura et administratio ad cleros ipsos necessariò pertinet, æque efficax foret.[s]

Ordinationum jam propositarum sumptum variis modis perpendere licet; vel secundum ejus quantitatem vel positivam vel relativam, vel secundum fructum vel positivum vel relativum ex eo sumptu oriturum. Redituum, ex hisce ordinationibus provenientium, valorem positivum multò majorem fore, nemo non fatebitur; nec quisquam igitur majori sumptui objicere deberet, cùm beneficia tantò majora sint. Dispendium tamen ex hisce ordinationibus, quàm ex iis Londini nunc existentibus, oriturum, multò minus fore constat, quia è mutatione propositâ parochiæ Londinenses et singuli earum incolæ multùm

---

[s] Præcipuè cauto opus erit ne in privatorum, aut sectarum quarundam sepulchretis numerum sepultorum reddere curatores negligant; et quùm libertatem immunitatesque, quibus omnes Christiani, quocunque nomine designati, in Imperio Britannico fruuntur respiciamus, vix credere possumus questuros sectarios si tales tabulas, ipsis non minùs quàm reipublicæ profuturas, præbere cogantur. Si proposito generali obviam iretur eò quòd mora, priùsquam libellus necessarius vel a medico vel a clero obtineri posset, sepulturam incommodè impediret: malum hocce, si unquam occurreret, beneficium majus secum afferret, quoniam quibusdam in locis funera nimiùm accelerari reperiuntur.

lucrifacerent, quoniam publicè pecuniâ compensandæ, privatim etiam muneribus leniendæ sunt "Indagatrices," in quarum locum benigni et idonei actores, nullo pretio parati, lege propositâ substituerentur.

In aliis consilii mei partibus res similiter ferè, ut antea, transigeretur, nisi quòd pœnâ quâdam irrogatâ caveri oporteret, ne parochiæ apparitor calculorum tabulas præter regulam redderet, vel eas ad sacristarum societatem, ut antea, non ad medicum a rege constitutum transmitteret. Expensum igitur solum, quod pro certo respublica sustineret, è trium stipendiis medicorum quibus Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ tabularum cura commissa foret, et ex compensatione apparitoribus ob majorem laborem donandâ, constaret: quod expensum pro nihilo haberi oportet, si cum eo, quo census populi constat, comparetur; censûsque hujusce æstimationem, si tabulæ emendatæ de nascentium et mortuorum numero in omnibus Imperii partibus asserventur, maximè auctam fore jam supra ostensum. Tabularum emendatarum tamen sumptum licet magnum fore concedamus, quàm parvulus videbitur, si usus earum ulteriores in animo rectè perpendamus: 1*mo*, ut documenta haud parvi momenti legalia: 2*do*, ut instrumenta adæquata, quibus censum ipsum habendi, sæpiùs fortassè quàm semel aut bis in quâque centuriâ, necessitas omnino tolleretur.

Quàm facilè fieri posset et quàm magni pretii foret testimonium è censu accurato æquè atque è baptismatum, nuptiarum et mortuorum tabulis emendatis depromptum, quùm in foro de rerum familiarium jure judicandum esset! Tales tabulæ stemmatum et prosapiarum testes summoperè æstimandos et nequaquam dubitandos simul sumptæ præberent, litesque,

aliter nunquam resolvendas, ad finem citiùs perducerent. Proposita huc tendentia, rei autem quæsitæ partem tantùm attingentia, subinde prolata sunt, sed adhuc negliguntur.[t] Re tamen totâ simul perpensâ et systemate generali pro Magnâ Britanniâ et Hiberniâ cooptato, maxima commoda non solùm hoc nomine, verùm etiam ut ad res statisticas, medicas, politicas et eommercia spectat, consequantur necesse est.

Etiamsi autem consilii jam propositi sumptus opinione multò major esset, immensa ejus œconomia tamen (ut de utilitate sileam) ex hoc pateret, nempe, quòd censûs, nune decimo quoque anno recurrentis, et labor et expensum auferrentur. Summâ ope igitur niti oportet, ut proximus census tàm plenus et emendatus evadat, quàm rei natura patiatur. Inde ab eo tempore et postea tabulas æquè plenas emendatasque de natorum et mortuorum numero asservari neeesse erit; nec minùs est ratio habenda de iis, qui vel emigraverint, vel domicilia sua in his regionibus posuerint. Talium documentorum ope, quocunque volumus tempore, censum accuratum, sine enumeratione reverà factâ, exhibere possumus. Hanece enu-

---

[t] Methodus simplicissima, quâ baptismata et sepulturæ in tabulas redigantur et consultu faciles fiant, a Rev. Domino Dade excogitata, in dissertationum Doctoris Percival volumine tertio invenietur. In iisdem illis dissertationibus (tomo secundo) Doctor Percival propositum, quo emendatiores amplioresque mortuorum tabulæ constituantur, edit: quod quamvis defectibus quibusdam laboret, tamen ob multa et prudentia consilia de hâc re ibi prolata, dignum est ad quod sæpius respiciamus: mortui nomen in tabulas referre minimè necessarium censet: de tabulis evulgatis certè hoc verum est: ut documenta autem sint legalia, quidnam de iis fiet sine defunctorum nominibus? Quidnam Londini objicitur? Nil.

merationem igitur, rebus ita se habentibus, non nisi semel quinquagesimo quoque anno suscipi expediet; nec toties quidem nisi ut, utrùm veræ sint ratiocinationes, è principiis supradictis deductæ, qualesque mutationes in variis populi negotiis (si quæ) occurrerint, pro certo cognoscatur. Ne autem ad tædium usque hæc disquisitio protrahatur, hujusce rei finem faciam in ipsis perspicui et docti Percival verbis, qui in unum colligendo commoda, è talibus statisticorum calculis manantia, sic loquitur: "The establishment of a judicious and accurate register of the births and burials, in every town and parish, would be attended with the most important advantages, medical, political, and moral. By such an institution, the increase or decrease of certain diseases; the comparative healthiness of different situations, climates, and seasons; the influence of particular trades and manufactures on longevity; with many other curious circumstances, not more interesting to physicians than beneficial to mankind, would be ascertained with tolerable precision. In a political view, exact registers of human mortality are of still greater consequence, as the number of people, and the progress of population in the kingdom, may in the most easy and unexceptionable manner be deduced from them. They are the foundations, likewise, of all calculations concerning the values of assurances on lives, reversionary payments, and of every scheme for providing annuities for widows and persons in old age. In a moral light, also, such tables are of evident utility, as the increase of vice or virtue may be determined, by observing the proportion which the diseases arising from luxury, intemperance, and other similar causes bear to the rest; and in

what particular places distempers of this class are found to be most fatal."—Vol. II. p. 239.

3tio. DE TABULIS ÆGRORUM.

Quæ ex emendato censu et accuratis defunctorum tabulis colliguntur, quamvis summi momenti, non tamen per se ad plenam rei cognitionem, qualem habere oportet, medico sufficere, jam antea dictum est; et præterea, necesse fore ut morborum quoque amplas tabulas ad manum promptas habeat. Si, ex. gr. post censum a mendis, quantum fieri potest, purgatum, nobis sit manifestum sexaginta familiarum millia, et ducenta et quinquaginta millia incolarum dato quovis anno Dublini existere, è quibus centum et quindecim millia sint mares et pars cætera fœminæ : *Si* sexus insuper, ætatum ratione, in periodos quinorum annorum dividantur, excepto quinquennio primo, quod in quinas periodos annuas constitueretur: *Si*, tali censu nobis dato, annuum nascentium et connubio junctorum numerum æquè hìc atque in Angliâ notum opinemur (nam in Hiberniâ *opinione* tantùm uti conceditur :) ad hoc, *si* individuorum nuptias expertorum et non expertorum, viduarum quoque et viduorum numerus cognoscatur; et *si* insuper, (ut Dominus Mason non solùm monet, verùm etiam perficere se posse affirmat) omnium professiones et negotia accuratè distinguantur : *Si* unà cum ejusmodi calculis, tabulas quoque de numero in eodem illo anno mortuorum possideamus, quæ non solùm defunctorum summam, verùm etiam (secundum consilium propositum) ætates, sexus, mor-

bosque quibus erepti fuerint, periodis quinorum annorum, sicut in censu, ordinatos, examussim depingant: *Si* præterea variarum professionum negotiorumque, quibus defuncti occupari solebant,[u] rationes accuratas habeamus: *Si, denique,* nobis innotescat quot è mortuis mares et fœminæ matrimonii expertes, quot hoc vinculo irretiti, quot viduæ viduique fuerint, ex istiusmodi ratiocinationibus de verâ populi multitudine et defunctorum numero, ab omni errore remoti tunc colligere possumus, 1*mo*, Quantum istius anni natura fuerit lethifera, indeque quota mortuorum proportio ad populi universi multitudinem: et sic deinceps diversorum annorum tempestatumque luem et positivam et relativam condisceremus: et inde, quibusnam causis locorum, annorum, tempestatumque strages regeretur.

2*do*, Marium fœminarumque mortalitatem et positivam et relativam in unaquâque vitæ periodo et in omni conditionis, negotii et professionis varietate.[x]

3*tio*, Unoquoque morbo pereuntium et numerum et ætates: unde morbi cujusque in loco dato lues positiva; et lues quoque relativa in diversis vitæ periodis et in datâ quâvis conditione, negotio vel professione, nobis patefieret.

---

[u] Si libellus de aliquo qui annum vigesimum nondum peregerit, nec professionem ullam exercuerit poscatur, parentum vitæ genus vel negotia in isto casu notare oportet, inde enim de clade puerorum relativâ inter pauperes divitesque judicium facere licebit.

[x] Quanti sint momenti hujusce generis tabulæ et conclusiones inde deductæ, sive res medicas, aut politicas, sive commercia respiciamus, paucis dicere non est: inde enim statûs et vitæ conditionis cujusque clades relativa lucidè pateret. Quantum etiam moribus profutura sit, a Percival et aliis jam antea dictum.

Si similes ealeuli aliis in locis simul asservati nobis redderentur, eomparationes inde pretiosissimas instituere, et non solùm locorum diversorum, verùm etiam ejusdem morbi, sub omni et loei et sitûs et rerum varietate, eladem relativam affirmare possemus.

Quamvis autem hæe multaque alia pretiosa e vivorum atque defunetorum tabulis deduei possint, attamen sine aliorum ealeulorum ope neque positivam vel relativam cujusvis morbi frequentiam, neque morborum diversorum eladem relativam æstimare nobis in promptu erit. Hoe nequaquam perfiei potest, nisi infra vel trimestres vel annuas periodos, ægrorum morborumque quibus ægrotent, rationes in eommunitate quâque nobis reddantur.[y]

Hujusce generis tabulæ tamen adeò plenæ et emendatæ nunquam parari queunt, ut in traetu latiùs porreeto *positivam* morborum frequentiam (paueis casibus partieularibus exceptis[z]) asseverare in nostra sit po-

---

[y] Hìc notare oportet pernecessarium essc (si conclusiones nostras è variis hisce fontibus derivatas, litibus quàm minimè obnoxias esse volumus,) ut de mortuis, vivis, nascentibus et connubio junctis, et quoque de morbis tabulæ super iisdem plagis et quatenùs fas sit, iisdem quoque temporibus conficiantur.

[z] Morbi cujuslibet frcquentia positiva vix unquam speranda est, nisi cùm morbus, vel ob stragem magnam vel universalitatem vel contagium, vel ob omnes hasce proprietates simul conjunctas valde formidolosus, rempublicam et universum populum invadat. Ejusmodi casùs excmplum præbet febris ista epidemica quæ per Hiberniam, annis 1816, 1817, et 1818, violenter grassata est. In illo tamen exemplo ad freqncntiam morbi positivam per totam insulam appropinquare tantùm nobis concessum. In plagis quidem particularibus frequentia positiva examussim asseverata fuit, ut in excmplo a Doctore Rogan emendatè notato. Vide opus ejus eximium dc febrc illâ epidemicâ, et notam in paginâ 15tâ. Historiæ meæ de eâdem Epidemiâ.

testate; quia ad hoc efficiendum, ægritudines quascunque in omni vitæ statu et periodo, pro quoque tractu, in tabulas referri oportet. Ut tabulæ autem tam plenæ parentur, ne sperare quidem licet. Frequentia igitur morborum *positiva* nunquam, ita ut cuique satisfiat, asseverari potest.

Calculi tamen, paratu faciles, *relativam* morborum diversorum et frequentiam et cladem accuratè ostendent. Morborum frequentia relativa etiam per se curam non parvam postulat: quæ, si pro utroque sexu et omni vitæ periodo inter diversa hominum negotia, æque ac pro populo universo, ex nostro voto ostendatur, illationes quàm maxime æstimandas inde deducere queamus. Nisi priùs de frequentiâ morborum relativâ certiores facti simus, clades eorum relativa laxæ et solutæ admodum conjecturæ relinquenda est. Hoc facile illustratur: ex. gr. si è defunctorum tabulis colligeremus decem homines in dato quovis loco et anno febre intermittente periisse, dum febre continuâ quingenti obiissent, inde sequeretur stragem intermittentis positivam ad stragem continuæ esse ut 1 : 50. De clade autem relativâ quidnam inferre oportet? Num febris continuæ cladem, quàm quæ a febre intermittente consequitur, quinquagies majorem esse? Longè aliter se res habet: nam si morborum tabulas ad manum promptas haberemus, ex iis, ut veresimile est, colligeremus quòd in hoc ipso loco, dum febre intermittente ducenti, febre continuâ decem millia hominum laborârunt: unde sequitur unum e vicenis mortalibus utroque morbo periisse; ideòque cladem eorum relativam eandem esse. Si rem altiùs scrutari vellemus, morbum utrumque per sequelas investigando, febrem intermittentem relativè magis lethiferam, inter

pauperes saltem, esse quàm febrem continuam, pro certo forsitan cognosceremus; quippe hâc, quæ rarò iis fatalis est, affecti et medicum et nosocomium avidè petunt; febris intermittentis autem medelam a medicis quærere vix operæ pretium ducunt, et per hanc incuriam se rectè facere sæpius arbitrantur. Febris hujusce tamen sequelæ frequenter lethales, quamvis in hisce regionibus ejus paroxysmi mortem rarò afferunt. Sub utroque morbo quàm diversa est divitum sors? E trinis eorum unus fortasse, optimis intereà medicis accitis, febri continuâ morietur, nullus fere febri intermittente peribit. Tantum valet in nonnullis exemplis medicinæ ars, quæ in aliis casibus cum temperamentis peculiaribus, vivendi moribus et mentis culturâ[a] frustra certare conatur. Nec minùs insignis ac diversa ejusdem morbi clades relativa inter ejusdem populi classes diversas invenitur.

---

[a] Quàm insigniter augetur febris continuæ clades tàm mentis quâm morum culturâ, admodum notatu dignum est. Hujusce differentiæ lethalem naturam inter reos, carceribus inclusos, mirum in modum sæpe manifestatam videmus; ita ut in exemplis non paucis prognosis mea rei charactere generali magnopere regatur. Carcerum febris nunc dierum non ea est, quam reperit benignus Howard, nec charactere illo formidoloso nunc, sicut olim, designata est. Carcerum recentiorum munditiés et *solatia*, inter mala nonnulla gravia, hoc saltem bonum intulerunt, et carcer noster *vetus* Dubliniensis (viz. *Newgate*) etiam commodum hocce plenè expertus est. Ob strenuum curatorum systema illic præscriptum, febris subinde oriens (illic non, ut olim, genita, sed foris illata) statim patefieri solet, ideòque multò minus in carcere quam inter pauperes urbanos lethifera est. Morbi clades *relativa* tamen inter varios carceris ordines mihi sæpe admiratione digna videbatur: nebulones enim et furciferi, pessimi et flagitiosissimi, impetum febris violentissimum excutiunt; abripiuntur autem plerumque homines moribus meliores qui, fandi atque nefandi adhuc memores, præsenti famæ, consulunt et sortem futuram cum timore prospiciunt.

Magnâ differentiâ non solùm inter cladem relativam et positivam, verùm etiam inter effectus ejusdem morbi in variis hominum ordinibus, sic simpliciter illustratâ, quicquam ulterius addere de commodis, quæ a vivorum, mortuorum ægrorumque conjunctis tabulis sequerentur, minimè necessarium est. Tabulæ morborum tamen, quibus creaturas suas Creatori nostro benefico, quò consilia sua sapientia expleantur, affligere placuit, è nosocomiis locisque in quibus dispensantur medicamenta, solùm, (primò saltem[b]) parari queunt; et quoniam hæc instituta pecuniâ publicâ plerumque adjuvantur,[c] registrarii eorum, lege ad id

---

[b] Relationes medicæ è nosocomiis freqùentiam morborum relativam inter pauperes solummodo designant: ut inter ditiores autem frequentiam et characterem morborum et cladem pro certo cognosceremus, medicos et chirurgos morborum quos privatim occurrisse scirent, rationes quoque reddere necesse foret, secundum exemplum eximium nobis a Doctore Gilberto Blane, Baronetto, in tomo quarto De Rebus Medico-chirurgicis prolatum. Tales rationes a medicis et chirurgis amplâ praxi beatis redditæ, et professionibus suis et reipublicæ maxima commoda præberent; easque, si necessarium censeretur, medico, ad id munus constituto, cum fiduciâ *privatim* communicari liceret.

[c] Plerisque forsitan optimè notum, quanti sit momenti, donis et publicis et privatis omnia instituta foveri, quæ pro morborum medelâ piè fundantur. Medicus, mente quantùmvis sagaci et studiis deditâ, artis suæ veram praxin vix intelligere incipit, priùsquam grave onus de " Vitæ et Mortis eventibus," suscipere cogatur. Ut felici et jucundâ praxi sit beatus, animi fortitudine haud parvâ opus est, quâ deficiente multi, in omnibus aliis eximiè culti atque parati, arduo artis suæ muneri sese subduxerunt. Respublica igitur, si sapiat et sibi et ditioribus æque ac pauperibus consulere velit, ejusmodi instituta, quibus medicus solidam de praxi scientiam certiùs citiùsque acquirere potest, fovebit et sanciet. Pauperibus, quorum commoda præterire periculosum esset, ægritudo, quæ patremfamilias aggreditur, gravissimum malum semper evadit: et hinc earum angustiarum fons plerumque derivatur, ob quas et ipsis et familiis a communitate opem ferri

latâ, medico a rege constituto tabulisque mortuorum præposito calculos necessarios quotannis præbere cogerentur: illius officium erit tales tabulas ordinare, consolidare et inter se comparare, et ab hisce omnibus tales conclusiones deducere, quales, vivorum, ægrorum et defunctorum tabulas conjunctim intuendo, colligere licebit.

Coronidem huic dissertationi (nimis longæ forsitan) nunc imponere volo: nec priùs tamen quàm aliquid collectioni morborum istiusmodi contribuam, et in hunc finem quandam ordinandi methodum proferam, quâ (quamdiu melior non ostendatur) varii morbi, quibus corpora nostra vexari solent, in classes commodissime redigantur.

Annis 1806, 1807, 1808, et 1809, dum in illo instituto, pauperes ægros levandi gratiâ fundato, et vulgo *Meath-street Dispensary* appellato, uniùs è medicis munere fungebar, mos erat relationem annuam de morbis evulgare. Anno, quo relatio ista mihi sorte data, modum quendam adhibui, quo immensam morborum ibi levatorum massam in ordinem redigere valerem; quem modum ex illò tempore hucusque fere semper secutus sum. Horum quatuor annorum spatio 5296 ægri mihi ipsi è 27,081, toto ægrorum numero, commissi sunt. Meam ipsius portionem et cæterum numerum separatim ordinavi, et occasione sic oblatâ gavisus, votique ab illustrissimo Sauvagesio sæpe anxiè enunciati me compotem fore existimans,

---

necesse est. Proprium igitur divitum munus est, eorumque præterea interest, auxilium levamenque adversus morborum vim pauperibus præbere: et illa respublica officium suum parùm intelligit, quæ provinciam, omnium felicitati et solamini adeò necessariam, tanquam inutilem negligit.

meum ordinandi modum ad quatuor præcedentes et ad quinque annos subsequentes extendi. Plures comparationes instituere cupiens, ad tabulas Londinenses animum intendi, et quas accuratus Doctor Willan in relationibus suis de Londini morbis depinxit, non sine multo labore in ordinem similiter redegi. Morbos quoque illos ab amico meo præcellenti Doctore Bateman per spatium novem annorum (cum annis in tabulis Dubliniensibus congruentium) tractatos, eodem modo amplexus sum.

Hæ omnes tabulæ numero plures sunt, quàm quæ in hoc opusculo locum habere possent. Pares singularum ordines tantùm summatim et pauca tabularum exempla, ita ut de earum charactere et de conclusionibus exinde deductis pro se judicet lector, exhibere decrevi.

In hoc morborum ordine nullum systema nosologicum præ aliis agnoscitur: omnes sub sexdecim capitibus recensentur morbi, ita ut non solùm diversarum harum divisionum generalium proportiones inter se clarè innotescant, verùm etiam ut unius cujusdam morbi proportio ad suam propriam divisionem et ad totas divisiones simul sumptas patefiat.

Hæ tabulæ, quamvis casuum morborum supra centum millia complectantur, in effectu tamen, vero tantùm appropinquant. Ejusmodi cùm sint, alicujus tamen pretii eas esse concedere liceat; eò magis præcipuè, quòd basin, cui, ædificii instar, unusquisque medicus aliquid adjicere queat, suppeditant: unde totius structuræ robur, soliditas, valorque quotannis in majus provehantur. Quum lectoris patientiam tamdiu tentaverim, eam diutius morando in re, quæ observationem longam jure optimo sibi vindicaret, ulteriùs

exhaurire nolo: necesse igitur erit, ut brevi annotatione, quæ, tabulis appensa, consilium meum meliùs explicet, contentus quiescam. Rogatâ tunc lectoris benevoli veniâ, quâ mihi opus esse arbitror, (quoniam opusculum hocce, inter varia et densa negotia susceptum, carptim et in horis a somno raptis compositum est,) penso meo jam finem imponam.

NOTA.—Me quidem piget, quòd Epistolam sequentem in eà ipsà formâ, quâ transmissa est, lectori submittere nequeo. E rudi et parùm politâ formâ, quâ primò scripta est, hoc sumitur exemplar; quod, etiamsi sensu nullo modo variet, a transmisso tamen et stylo et compositione necessariò discrepat. Qualiscumque sit, Roberto Peel, Baronetto, voleute et annuente, nunc evulgatur.

APPENDIX.

COPY OF A LETTER

ADDRESSED TO

THE RIGHT HONOURABLE ROBERT PEEL,

SECRETARY OF STATE FOR THE HOME DEPARTMENT, &c. &c.

Sir,

As a Member of the Medical Profession, who had the honour of occasional communication with you, I take the liberty of intruding for a few minutes on your attention, which, though it might be occupied by affairs of greater or more urgent moment, could not be devoted to one more interesting to the human race than that, respecting which I have now the honour to address you. The petitions lately presented to Parliament, stating the difficulties opposed to the practice of dissection in England, complain of a serious evil, which undoubtedly exists, and which begins to be felt even in this metropolis, not so much from an actual scarcity of subjects to meet the home demand, as from the large exportations made from hence to meet the scarcity in England and Scotland. The increased demand from this latter cause has led to such violations of the sanctuaries of the dead, as to have strongly excited popular prejudices, and thereby endangered the successful prosecution of anatomy in a place which had heretofore afforded the greatest facilities, and which had already begun to prosper as a school for Medicine and Surgery, to the general benefit of the com-

munity, and the special advantage of the citizens of Dublin, in more respects than one.

The presentation of these petitions drew from you, Sir, observations, in the justice and propriety of which every discreet and intelligent member of the profession must concur. Provided the Government and the Legislature be fully impressed with the existence and importance of the evil, the less public discussion it receives the better; and the less likely that public prejudice will be fostered—prejudices so natural must be soothed, not directly opposed. In this, as in most other cases, it is easier to state the evil than devise the remedy. The remedy must have an indirect, not a direct operation; though greater facilities may undoubtedly be given, by modifying the existing acts against indecent disinterment, and by other measures, through which the supply of subjects from hospitals and work-houses may be promoted, as in France.

The purposes and objects of dissection are twofold, each of great and equal moment, each surrounded by peculiar difficulties, requiring very different processes, and exciting very different degrees of prejudice. One is for the instruction of students—the other for the information and improvement of medical practitioners. The first requires the uncontrolled and irreclaimable possession of the dead body—the second does not, consisting merely in the simple examination of the several cavities of the body, without disfiguring it. The first is practised for the purpose of instructing students in the structure and functions of the healthy body—the second for the purpose of exhibiting the several diseased states of the body, of explaining the causes of symptoms, and pointing out the best curative process. Without the first, the second would be almost useless; without the second, the first would avail little. To place the medical art, therefore, on a proper footing, the cultivation of both should be encouraged, without outraging the sound principles of our nature; and yet the complaints made to the Legislature would seem to refer to the first species of dissection only.

The subjects for the first are to be had from amongst the poor only; for the second, from amongst both rich and poor—less difficulty being ever experienced with the former than the latter.

The evidence that will be laid before the Select Committee must put it in full possession of every fact connected with the supply of subjects for the Medical and Surgical Schools, and will, of course, specify the sources whence, and means whereby they have been heretofore procured; will point out the legal and other difficulties thrown in their way, and will suggest such means as may be safely practised for removing those impediments. Without detaining you, however, on these points, which will be urged in other quarters, the remedial measure to which I would beg to draw your attention, is one indirect yet powerful in its operation, extensive and beneficial in its influence, and embracing within its scope a great variety of matter, important alike to the profession and to the community at large. It is a measure long loudly called for by every reflecting member of society, and which, whilst it must *ultimately* succeed in promoting the general adoption of dissection, will do so without exciting alarm or prejudice, and will, I may safely add, confer immortal honour on the statesman who undertakes successfully to legislate on the subject.

The measure, to which I thus refer, is the legislative establishment of correct Bills of Mortality, founded on proper principles, in England, Ireland, and Scotland. Bills of Mortality are kept in London, and some few towns in England: they were once kept in Dublin; but have been discontinued for nearly a century. It is well known, however, and as universally deplored, that but little dependance can be placed on them, so imperfect is the machinery by which they are constructed; and no one, conversant with the subject, will deny their importance. Not to trouble you, Sir, with proofs demonstrative of that which none dispute, the imperfection and inaccuracy of the existing tables, I will proceed at once to set down some of the more important de-

tails which should be found in correct tables, and to point out the machinery by which they should be constructed. My proposition for their construction is this, that a quarterly return of interments should be had from the sexton, parish-clerk, or other person in charge of each and every burial-ground in the United Kingdom; such person being authorized and required to refuse interment to any body, unless he be previously furnished with a certificate from the medical attendant or clergyman, stating, amongst other things,

1*st*, The name, (Christian and sirname,) age, sex, and occupation of the individual, and whether single, married, widow, or widower.

2*nd*, The place of birth, of ordinary residence, and of death.

3*rd*, Date of death, the name of the disease, of what duration, where and how contracted, and whether an opportunity of dissection was furnished, verifying the character of the disease, and the cause of death.

4*th*, Whether parents be living; whether any, and how many brothers and sisters be living; how many of each dead, and at what ages.

From such certificates, with printed formulas of which medical practitioners and clergymen should be furnished, the sexton is to prepare, in ruled and printed tables, his quarterly returns, to be by him forwarded, together with the certificates, to the Register of the respective Colleges of Physicians in each country, or to some other proper medical officer, by whom they are to be duly classed and arranged, according to printed formulas, and by whom an annual return, in monthly or quarterly reports, is to be forwarded to the Secretary of State for the Home Department, and by him laid before Parliament for public information.

To you, Sir, it must be needless to specify the great advantages, scientific and political, that may be derived from such returns, when connected with an accurate census of the popula-

tion, and when aided and illustrated by other tables of *Disease*, which may be, and ought to be, required from every Hospital, Dispensary, Lunatic Asylum, and charitable institution in the United Kingdom, from each of which should be had, not only their Bills of Mortality, but also classified tables of the diseases occurring in each. I will not incumber this paper by any length of detail on the latter class of tables, but will merely illustrate their general importance, by specifying the kind of return that should be had from each Lying-in-Hospital, and by which most important and correct information might be obtained of the mortality amongst children. Such returns should state the age of each female admitted; how long married; (age of husband;) how many children she had, specifying boys and girls; how many of each now alive; ages of those dead, and of what probable diseases, &c. &c. Such a table would, in a few years, furnish authentic and important information relative to mortality in the periods of infancy and youth.

Reluctant to trespass on your valuable time by entering into longer or minuter details, until apprised that you desire them, I shall conclude with the expression of my earnest hope, that the other important business of your office may permit you to devote a portion of your attention to this most interesting and useful undertaking, and enable you thereby to fix your name, as imperishably and as honourably, in the annals of Medicine as of Jurisprudence.

I have the honour to be,

Sir,

Your obedient humble Servant,

WILLIAM HARTY,

Physician to the Prisons of Dublin.

Dublin, April 28, 1828.

STATISTICAL TABLE FOR A LYING-IN-HOSPITAL.

Date of Admission.	Present Age of		How long married.	Number of previous births and miscarriages.		No. of		No. now living.		Ages of those dead.		Probable diseases.		Commencement and duration of present labour, and its character.	Sex of Child.	Fate of Mother.	Fate of Child.
	Husband.	Wife.		Births.	Abortions.	Boys.	Girls.	Boys.	Girls.	Boys.	Girls.	Bnys.	Girls.				

Quæ tabularum ejusmode ope paucorum annorum spatio colligerentur, multas quæstiones et utiles et momenti non parvi solverent. Tale commodum præcipuè pateret sub illis capitulis, quæ viri uxorisque ætates, nec non liberorum sexum sortemque exprimunt. Inde præsertim facillimè et certissimè explicaretur doctrina quam amplexus est Dominus Sadler, et de quâ in hâc dissertatione jam antea mentio facta est.

TABULA OSTENDENS FREQUENTIAM RELATIVAM DIVERSARUM CLASSIUM MORBORUM ET IN LONDINO ET DUBLINIO.

Classes Morborum.	Rationes Morborum Dubliniensium ab anno								Rationes Morborum Londinensium a Doctore Bateman redditæ ab anno								Rat^{s}. Morb. Lond. a D^{re}. Willan redditæ ab anno		Rat^{s}. Morb. Dub. a D^{re}. Harty et publicé et privatim redditæ ab anno			
	1802 ad ann. 1805.	Prop^{o}.	1806 ad ann. 1809.	Prop^{o}.	1810 ad ann. 1814.	Prop^{o}.	Summa Morb. Dublini	Prop^{o}.	1806 ad ann. 1809.	Prop^{o}.	1810 ad ann. 1814.	Prop^{o}.	Summa Morb. Londin.	Prop^{o}.	Summa Morb. et Dublin. et Londin.	Prop^{o}.	1796 ad ann. 1799.	Prop^{o}.	1806 ad ann. 1809.	Prop^{o}.	1806 ad ann. 1816.	Prop^{o}.
1 Morbi Febriles, ...	4739	$\frac{7}{24}$	5050	$\frac{1}{5}$ −	6409	$\frac{1}{6}$ +	16198	$\frac{1}{5}$ −	347	$\frac{1}{22}$	371	$\frac{1}{32}$	718	$\frac{1}{27}$	16916	$\frac{1}{5}$ −	747	$\frac{1}{17}$	744	$\frac{1}{7}$ −	75	$\frac{1}{18}$
2 —— Thoracici, ...	4999	$\frac{1}{3}$ −	7993	$\frac{1}{3}$ −	12380	$\frac{1}{3}$ −	25372	$\frac{1}{3}$ −	2356	$\frac{1}{3}$ −	3844	$\frac{1}{3}$ −	6200	$\frac{1}{3}$ −	31572	$\frac{1}{3}$ −	3024	$\frac{1}{4}$ −	1531	$\frac{5}{17}$	217	$\frac{1}{6}$
3 —— Abdominales,	2380	$\frac{1}{6}$ −	5128	$\frac{1}{5}$ −	7270	$\frac{1}{5}$ −	14778	$\frac{1}{5}$ −	1273	$\frac{1}{6}$	2298	$\frac{1}{5}$ −	3571	$\frac{1}{5}$ −	18349	$\frac{1}{5}$ −	2254	$\frac{1}{5}$ −	1075	$\frac{1}{5}$ +	288	$\frac{1}{5}$ +
4 —— *Contagiosi, ..	152	$\frac{1}{105}$	845	$\frac{1}{32}$	647	$\frac{1}{59}$	1644	$\frac{1}{49}$ −	353	$\frac{1}{22}$ +	414	$\frac{1}{28}$ −	767	$\frac{1}{25}$ −	2411	$\frac{1}{41}$ −	829	$\frac{1}{15}$ −	230	$\frac{1}{23}$	74	$\frac{1}{18}$
5 —— Cutanei, ...	363	$\frac{1}{44}$ −	818	$\frac{1}{33}$ −	1498	$\frac{1}{25}$ −	2679	$\frac{1}{30}$ −	404	$\frac{1}{19}$	928	$\frac{1}{12}$ −	1332	$\frac{1}{14}$ −	4011	$\frac{1}{25}$ −	1066	$\frac{1}{12}$	175	$\frac{1}{31}$	99	$\frac{1}{13}$
6 —— Rheumatici, ..	799	$\frac{1}{20}$	2013	$\frac{1}{13}$ −	2977	$\frac{1}{12}$ −	5789	$\frac{1}{14}$	735	$\frac{1}{10}$ −	897	$\frac{1}{13}$ −	1632	$\frac{1}{12}$	7421	$\frac{1}{13}$ −	786	$\frac{1}{16}$ −	306	$\frac{1}{17}$ −	38	$\frac{1}{35}$
7 —— Hydropici, ..	518	$\frac{1}{31}$	1003	$\frac{1}{27}$	1251	$\frac{1}{30}$ −	2772	$\frac{1}{29}$ −	191	$\frac{1}{40}$ +	193	$\frac{1}{60}$ −	384	$\frac{1}{51}$	3156	$\frac{1}{32}$	278	$\frac{1}{46}$ +	235	$\frac{1}{22}$ −	48	$\frac{1}{28}$
8 —— Capitis, ...	402	$\frac{1}{40}$	851	$\frac{1}{32}$ +	1130	$\frac{1}{33}$ −	2383	$\frac{1}{34}$	431	$\frac{1}{17}$ −	838	$\frac{1}{14}$ −	1269	$\frac{1}{15}$ −	3652	$\frac{1}{27}$ −	545	$\frac{1}{23}$	248	$\frac{1}{21}$ −	136	$\frac{1}{10}$
9 —— Oculorum, ..	286	$\frac{1}{56}$ −	709	$\frac{1}{39}$ −	939	$\frac{1}{40}$ −	1934	$\frac{1}{42}$	20	$\frac{1}{384}$	21	$\frac{1}{566}$	41	$\frac{1}{477}$	1975	$\frac{1}{51}$	56	$\frac{1}{228}$	149	$\frac{1}{35}$ −	37	$\frac{1}{35}$
10 —— Colli, ...	139	$\frac{1}{115}$	607	$\frac{1}{44}$ −	655	$\frac{1}{58}$	1401	$\frac{1}{58}$	111	$\frac{1}{69}$ −	163	$\frac{1}{73}$	274	$\frac{1}{71}$	1675	$\frac{1}{60}$	208	$\frac{1}{61}$	116	$\frac{1}{45}$ −	69	$\frac{1}{20}$
11 —— Urinarii, ...	129	$\frac{1}{124}$	173	$\frac{1}{156}$	276	$\frac{1}{138}$	578	$\frac{1}{137}$	154	$\frac{1}{51}$ +	249	$\frac{1}{47}$ −	403	$\frac{1}{50}$ +	981	$\frac{1}{103}$	201	$\frac{1}{61}$	49	$\frac{1}{108}$	19	$\frac{1}{70}$
12 —— Muliebres, ..	822	$\frac{1}{20}$ +	1237	$\frac{1}{22}$ −	2017	$\frac{1}{19}$ +	4076	$\frac{1}{20}$ +	581	$\frac{1}{13}$ −	755	$\frac{1}{15}$ −	1336	$\frac{1}{14}$ −	5412	$\frac{1}{18}$ −	945	$\frac{1}{13}$ −	247	$\frac{1}{21}$ −	69	$\frac{1}{20}$
13 —— Pueriles, ...	608	$\frac{1}{26}$	969	$\frac{1}{28}$ +	1624	$\frac{1}{23}$ −	3201	$\frac{1}{25}$ −	313	$\frac{1}{25}$	802	$\frac{1}{14}$ −	1115	$\frac{1}{17}$ −	4316	$\frac{1}{23}$ −	1261	$\frac{1}{10}$ −	308	$\frac{1}{17}$	94	$\frac{1}{14}$
14 —— Inflammatorii,	1535	$\frac{1}{10}$ −	3858	$\frac{1}{7}$	4930	$\frac{1}{7}$ −	10323	$\frac{1}{8}$ +	580	$\frac{1}{13}$ −	774	$\frac{1}{15}$ −	1354	$\frac{1}{14}$ −	11677	$\frac{1}{8}$ −	690	$\frac{1}{18}$	862	$\frac{1}{6}$ −	240	$\frac{1}{5}$ −
15 —— Hæmorrhagici,	373	$\frac{1}{43}$ −	768	$\frac{1}{35}$ −	1010	$\frac{1}{37}$ −	2151	$\frac{1}{37}$ −	381	$\frac{1}{20}$ −	621	$\frac{1}{19}$ −	1002	$\frac{1}{19}$ −	3153	$\frac{1}{32}$	525	$\frac{1}{24}$ −	167	$\frac{1}{31}$ −	34	$\frac{1}{39}$
16 —— †Anomali, ...	54	$\frac{1}{298}$	218	$\frac{1}{124}$	107	$\frac{1}{357}$	379	$\frac{1}{214}$	534	$\frac{1}{14}$ −	422	$\frac{1}{28}$	956	$\frac{1}{20}$	1335	$\frac{1}{75}$	915	$\frac{1}{14}$ +	49	$\frac{1}{108}$	103	$\frac{1}{15}$
	18298		32240		45120		95658		8764		13590		22354		118012		14330		6491		1640	
Subtrah^{r} Repetitiones,	2201		5159		6911		14271		1079		1699		2778		17049		1561		1195		309	
Summa, ...	16,097		27,081		38,209		81,387		7685		11,891		19,576		100,963		12,769		5296		1,331	

Harum diversarum classium proportiones, quamvis fixæ atque firmæ aliquatenùs permaneant, si temporis spatio numerisque satis porrigantur, attamen, cùm intra limites adeò angustos coarctantur, sicut in tabulâ jam prolatâ, haud æquè semper fide dignæ habendæ sunt. Sic annis quibusdam particularibus, classis prima et quarta magnas variationes subibunt, ubicunque febris cujuscunque generis, ùtrum sit continua vel exanthematica, epidemicè latè grassatur. Sic etiam aliæ classes, quinta, scil: et nona, (quarum levandi gratiâ speciali, instituta quædam fundantur), proportione multò majore, quàm quæ hâc tabulâ ostenderetur, necessario existunt. Tabulæ hujusce utilitas multò major et latior fieret, si non solùm in annos singulos, sicut in Tabulis subsequentibus, verùm etiam in diversas anni tempestates, subdividatur. Istiusmodi subdivisione variationes insignes in diversarum classium proportionibus paterent, præcipuè, si cum proportione generali vel totius anni vel annorum seriei comparetur. Quoniam autem hæcce tabula proportionibus veris appropinquare solummòdo potest, fractionibus vulgaribus, cum notis + vel —, prout res postulet, uti malui; quoniam in hoc casu, res ad minutias usque redigere, neque utile, neque necessarium esse videbatur. Si autem Tabulæ latè et ampliter porrectæ quandoque parentur, fractiones tum, quæ progressu decuplici semper augeantur, adhibere oportet. Fractionibus hisce decuplicibus præsertim opus erit, si pro spatio annorum longiore tabulas formare necessarium sit. Subsequentes tabulæ frequentiam *relativam* eorum morborum notant è quibus classes speciales, jam prolatæ, componuntur. Ex iisdem tabulis similiter patebit, quonam modo classium diversarum tabularis hicce prospectus confectus est. In Tabulis ejusmodi parandis, eundem morbum subinde repeti opus esse liquet. Sic in aliquâ è præcedentibus classibus omnes ferè morbi, et inflammatorii, et hæmorrhagici, et pueriles reperientur: nonnullos etiam morbos ter occurrere invenimus, sicut, ex. gr. Cynanchen trachealem in classibus, 10mâ, 13tiâ, et 14tâ; Purpura quoque quamvis in 5tâ et 15tâ tantummodo reperta, priùs forsitan sub classe tertiâ recenseri oporteret.

* i. e. "Semel tantùm in decursu Vitæ aliquem afficientes."

† Morbi, sub aliquâ classium præcedentium haud recensiti, omnes a me tanquam "Anomali" conscribuntur.

TABULA OSTENDENS FREQUENTIAM RELATIVAM DIVERSORUM MORBORUM IN QUIBUSDAM CLASSIBUS, SECUNDUM RATIONES ANNUAS MORBORUM DUBLINIENSIUM AB ANNO 1802, AD ANN. 1814.

Classis Prima.	1802.	1803.	1804.	1805.	Summa	Prop°.	1806.	1807.	1808.	1809.	Summa	Prop°.	1810.	1811.	1812.	1813.	1814.	Summa	Prop°.	Summa omnium.	Prop°.
Febris continua,	564	1420	1013	1406	4403	$\frac{11}{12}$	1005	1028	901	724	3658	$\frac{3}{4}$ −	969	865	1021	1493	865	5213	$\frac{13}{16}$	13274	$\frac{13}{16}$
Typhus,	222	..	31	20	273	$\frac{1}{17}$	159	269	455	351	1234	$\frac{1}{4}$ −	358	131	102	246	279	1116	$\frac{1}{6}$ +	2623	$\frac{1}{6}$ −
Intermittens,	32	6	5	20	63	$\frac{1}{75}$	18	34	38	68	158	$\frac{1}{32}$	..	20	30	16	14	80	$\frac{1}{79}$	301	$\frac{1}{53}$ −
Summa Morb. Febril.	818	1426	1049	1446	4739	$\frac{7}{24}$	1182	1331	1394	1143	5050	$\frac{1}{5}$ −	1327	1016	1153	1755	1158	6409	$\frac{1}{6}$ +	16198	$\frac{1}{5}$ −
Classis 4ta.																					
Pertussis,	6	23	2	7	38	$\frac{1}{4}$	25	5	16	11	57	$\frac{1}{15}$	16	3	15	24	2	60	$\frac{1}{11}$ +	155	$\frac{1}{10}$ −
Rubeola,	17	..	1	32	50	$\frac{1}{3}$	16	36	140	132	324	$\frac{8}{21}$	114	144	57	105	17	437	$\frac{11}{16}$	811	$\frac{1}{2}$
Scarlatina,	..	..	1	2	3	$\frac{1}{50}$	4	308	19	14	345	$\frac{5}{12}$	22	4	4	1	15	46	$\frac{1}{14}$	394	$\frac{1}{4}$ −
Variola,	20	13	8	19	60	$\frac{6}{15}$	16	38	24	40	118	$\frac{1}{7}$ −	44	7	28	11	2	92	$\frac{1}{7}$	270	$\frac{1}{6}$
Varicella,	..	..	..	1	1	..		..	1	..	1	..	..	2	4	1	5	12	$\frac{1}{54}$	14	$\frac{1}{117}$
Summa Morb. Contagiosorum.	43	36	12	61	152	$\frac{1}{105}$	61	387	200	197	845	$\frac{1}{32}$	196	160	108	·142	41	647	$\frac{1}{59}$	1644	$\frac{1}{49}$ −
Classis 15ta.																					
Epistaxis,	3	3	4	2	12	$\frac{1}{31}$	9	10	3	2	24	$\frac{1}{32}$	8	6	8	6	4	32	$\frac{1}{31}$	68	$\frac{1}{31}$ −
Hæmoptysis,	16	40	17	27	100	$\frac{10}{37}$	43	52	65	65	225	$\frac{2}{7}$	66	57	54	94	70	341	$\frac{1}{3}$ +	666	$\frac{1}{3}$ −
Hæmatemesis,	..	1	3	10	14	$\frac{1}{26}$ −	20	5	11	6	42	$\frac{1}{18}$ −	5	6	7	8	15	41	$\frac{1}{24}$ −	97	$\frac{1}{22}$
Hæmorrhois,	10	..	8	13	31	$\frac{1}{12}$	27	23	34	27	111	$\frac{1}{7}$ +	35	35	32	36	31	169	$\frac{1}{6}$	311	$\frac{1}{7}$ +
Hæmaturia,	..	..	..	1	1	..	3	1	5	..	9	$\frac{1}{85}$	7	..	2	2	5	16	$\frac{1}{62}$	26	$\frac{1}{62}$
Purpura,	2	..	1	1	4	$\frac{1}{93}$	..	4	3	3	10	$\frac{1}{76}$	1	1	2	..	..	4	$\frac{1}{252}$	18	$\frac{1}{119}$
Hæmorrhagia Uteri, &c.,	48	43	44	76	211	$\frac{5}{9}$	71	86	87	103	347	$\frac{1}{2}$ −	105	71	70	72	89	407	$\frac{2}{5}$	965	$\frac{1}{2}$ −
Summa Morb. Hæmorrhag.	79	87	77	130	373	$\frac{1}{43}$ −	173	181	208	206	768	$\frac{1}{35}$ −	227	176	175	218	214	1010	$\frac{1}{37}$ −	2151	$\frac{1}{37}$ −

TABULA OSTENDENS FREQUENTIAM RELATIVAM DIVERSORUM MORBORUM IN QUIBUSDAM CLASSIBUS, SECUNDUM RATIONES MORBORUM LONDINENSIUM A DOCTORIBUS WILLAN ET BATEMAN REDDITAS.

Classis 13tia.	A DOCTORE WILLAN.						A DOCTORE BATEMAN.														
	1796.	1797.	1798.	1799.	Summa	Prop°.	1806.	1807.	1808.	1809.	Summa	Prop°.	1810.	1811.	1812.	1813.	1814.	Summa	Prop°.	Summa Doct. B.	Prop°.
Aphthæ,	14	..	13	16	43	$\frac{1}{30}$	2	..	..	..	2	$\frac{1}{157}$	5	6	4	8	1	24	$\frac{1}{33}$	26	$\frac{1}{43}$
Chorea Sti Viti,	5	9	6	4	24	$\frac{1}{52}$	2	2	2	3	9	$\frac{1}{34}$	1	4	4	4	2	15	$\frac{1}{53}$	24	$\frac{1}{46}$
Convulsio et Dentitio,	5	2	12	2	21	$\frac{1}{60}$	2	1	2	1	6	$\frac{1}{52}$	..	1	1	1	2	5	$\frac{1}{160}$	11	$\frac{1}{101}$
Cynanche trachealis,	1	..	..	..	1	..	..	2	1	..	3	$\frac{1}{104}$	..	..	1	1	2	4	$\frac{1}{200}$	7	$\frac{1}{159}$
Febres Infantum, &c.	114	130	102	115	461	$\frac{1}{3}$ +	21	23	43	39	126	$\frac{2}{5}$	45	31	39	76	66	257	$\frac{1}{3}$ −	383	$\frac{1}{3}$ +
Hydrocephalus,	9	3	5	8	25	$\frac{1}{50}$	5	5	1	6	17	$\frac{1}{18}$	6	6	10	7	6	35	$\frac{1}{23}$	52	$\frac{1}{21}$
Marasmus et Tabes,	41	25	36	35	137	$\frac{1}{9}$	16	4	2	24	46	$\frac{1}{7}$ +	33	29	37	45	22	166	$\frac{1}{4}$ −	212	$\frac{1}{5}$ −
Porrigo Capitis, &c.	60	32	40	42	174	$\frac{1}{7}$ −	4	7	6	10	27	$\frac{1}{11}$ −	7	22	51	62	60	202	$\frac{1}{4}$	229	$\frac{1}{5}$ +
Scrofula et Rachitis,	54	63	40	57	214	$\frac{1}{6}$ +	14	6	2	..	22	$\frac{1}{14}$	5	10	15	8	13	51	$\frac{1}{16}$ +	73	$\frac{1}{15}$
Strophulus,	2	13	6	13	34	$\frac{1}{37}$	..	..	..	..	..	..	2	2	..	..	2	6	$\frac{1}{133}$	6	$\frac{1}{186}$
Vermes,	41	31	32	23	127	$\frac{1}{10}$	11	15	15	14	55	$\frac{1}{5}$ −	7	15	2	5	8	37	$\frac{1}{21}$ −	92	$\frac{1}{12}$
Summa Morb. Pueril.	346	308	292	315	1261	$\frac{1}{10}$	77	65	74	97	313	$\frac{1}{25}$	111	126	164	217	184	802	$\frac{1}{14}$ −	1115	$\frac{1}{17}$ −
Classis 14ta.																					
Peripneumonia notha,	..	..	..	..	..	..	21	20	16	13	70	$\frac{1}{8}$ −	12	3	4	3	6	28	$\frac{1}{28}$	98	$\frac{1}{13}$ −
Pneumonia,	23	15	18	33	89	$\frac{1}{8}$ +	24	46	43	47	160	$\frac{1}{3}$ −	64	57	50	26	88	285	$\frac{4}{11}$	445	$\frac{1}{3}$
Pericarditis, &c.	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	1	..	1	1	1	4	$\frac{1}{193}$	4	..
Enteritis, &c.	5	7	9	11	32	$\frac{1}{21}$	1	4	1	3	9	$\frac{1}{64}$	4	1	3	3	2	13	$\frac{1}{60}$	22	$\frac{1}{61}$
Hepatitis,	..	..	1	2	3	..	1	3	4	3	11	$\frac{1}{52}$	7	3	2	2	4	18	$\frac{1}{43}$	29	$\frac{1}{46}$
Peritonitis,	11	13	6	9	39	$\frac{1}{15}$	3	1	5	2	11	$\frac{1}{52}$	8	8	2	7	6	31	$\frac{1}{25}$	42	$\frac{1}{32}$
Hydrocephalus ac.	9	3	5	8	25	$\frac{1}{27}$ −	5	5	1	5	16	$\frac{1}{36}$	6	6	5	7	6	30	$\frac{1}{26}$	46	$\frac{1}{29}$
Phrenitis,	..	..	..	..	..	..	3	..	..	..	3	$\frac{1}{193}$	..	2	..	6	..	8	$\frac{1}{97}$	11	$\frac{1}{123}$
Cystitis et Nephritis,	1	1	4	1	7	$\frac{1}{98}$	1	..	..	..	1	..	2	..	..	..	2	4	$\frac{1}{193}$	5	$\frac{1}{270}$
Hysteritis,	..	..	..	..	..	..	1	..	2	..	3	$\frac{1}{193}$	2	2	..	..	..	4	$\frac{1}{193}$	7	$\frac{1}{193}$
Pleurodyne,	19	21	16	18	74	$\frac{1}{9}$	7	13	13	12	45	$\frac{1}{13}$	8	9	2	16	11	46	$\frac{1}{17}$	91	$\frac{1}{15}$
Inflammatio Mammæ,	4	2	1	..	7	$\frac{1}{98}$	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..	..
——— Pudend. Mul.	..	..	..	..	..	..	1	..	..	..	1	..	..	1	..	..	..	1	..	2	..
Phlegmasia dolens,	3	2	..	..	5	$\frac{1}{138}$	1	..	..	..	1	..	..	..	4	..	1	5	$\frac{1}{155}$	6	$\frac{1}{226}$
Cynanche trach.	1	..	..	..	1	..	..	2	1	..	3	$\frac{1}{193}$	..	..	1	1	2	4	$\frac{1}{193}$	7	$\frac{1}{193}$
——— tonsillaris,	33	24	41	24	122	$\frac{1}{5}$ −	23	26	28	21	98	$\frac{1}{6}$ +	25	11	17	29	21	103	$\frac{1}{7}$ −	201	$\frac{1}{6}$ −
Ophthalmia,	1	18	15	22	56	$\frac{1}{12}$	7	4	3	2	16	$\frac{1}{36}$	6	1	1	2	5	15	$\frac{1}{52}$	31	$\frac{1}{43}$
Rheumatismus ac.	66	47	54	63	230	$\frac{1}{3}$	43	38	19	32	132	$\frac{1}{4}$ −	40	36	37	36	26	175	$\frac{1}{4}$ −	307	$\frac{1}{4}$ −
Summa Morb. Inflammat.	176	153	170	190	690	$\frac{1}{18}$	142	162	136	140	580	$\frac{1}{13}$ −	185	140	129	139	181	774	$\frac{1}{15}$ −	1354	$\frac{1}{14}$ −

INDEX

RERUM QUÆ IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

CORRIGENDA.

Page viii. line 18, *dele* , *et adde post* sint.
—— xx. —— 5, *pro* questione *lege* quæstione.
—— xlv. —— 13, *post* tabularum *supple* specialium.
—— lii. —— 1, *pro* ejusmode, *lege* ejusmodi.